J. L. H. HAERTEN,

HISTORIA CHOLERAE ASIATICAE ANNIS 1848 ET 1849, DUM ULTRAJECTI REGNABAT, IN VICO HUJUS URBIS LITTERA C INSIGNITO OBSERVATAE.

Viro ornatissimo amicissimo

J. Maats.

Med. Stud.

d. d.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

HISTORIAM CHOLERAE ASIATICAE ANNIS 1848 ET 1849, DUM ULTRAJECTI REGNABAT, IN VICO HUJUS URBIS LITTERA C INSIGNITO OBSERVATAE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

HISTORIAM CHOLERAE ASIATICAE ANNIS 1848 ET 1849, DUM ULTRAJECTI REGNABAT, IN VICO HUJUS URBIS LITTERA C INSIGNITO OBSERVATAE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BART. JAC. LINTELO DE GEER,

LITT. HUM., JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. EXTRAORD.,

NEC

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOSEPHUS LUDOVICUS HUBERTUS HAERTEN,

Amstelodamensis.

A. D. XXIX M. JUNII, A. MDCCCL, HORA VI.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, Jr.

MDCCCL.



TYPIS K. J. GIEBEN.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS

HASCE STUDIORUM SUORUM
PRIMITIAS PIO GRATOQUE
ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum aestate anni 1849 *Cholera Asiatica, quae per aliquot menses Ultrajecti regnaverat, iterum ibi apparuisset, et, in dies vehementior facta, tanta vi saeviret, quantam adhuc ignoverant cives, me quoque hujus urbis Magistratus invitarunt, ut pro viribus succurrerem inferioris ordinis civibus, quorum magnus numerus terribili morbo corripiebatur. Cui invitationi, quamvis honorificentissima esset, primum tamen haud sciebam, an rite obsequi possem; quum recens in candidatorum numerum relatus essem, mihique vix per anni spatium aditus in clinico Academico ad aegrotantium lectulos patuisset, ideoque difficultates computarem, quibus me, propter exiguam doctrinae et experientiae copiam, implicatum iri intelligerem. Grassantis tamen morbi vehementia et cogitatio, fore ut ego quoque, sub auspiciis hujus illiusve doctissimi viri, nisi afflictis prodesse, saltem medici gravissi-*

mum munus sublevare possem, me impulerunt, ut oblatum honorem acciperem, meque pro viribus praesto fore, Magistratibus significarem.

Itaque mihi assignatus est vicus C, omnium fere tristissime afflictus, in quo ambo Medicinae Doctores E. Oudenhoff *et* C. C. J. de Ridder *gravissimo labore noctu diuque erant intenti. Gratias iis hoc loco ago pro sapientibus consiliis, quae toties ab iis accepi, et pro humanitate, qua uterque eorum in casu periculoso mihi adstitit. Quodsi amicitiae vinculum, quo tum consociati fuimus, successu temporis, non dissolvatur, eo dulcior mihi erit praeteritorum recordatio, magisque juvabit communis laboris olim meminisse.*

Deficiente morbi vehementia, studia, per intervallum trium mensium fere amissa, recepi atque eatenus quidem absolvere potui, ut ad terminos curriculi academici progresso, jam mihi tantum cura dissertationis scribendae restaret, qua summos in Medicina honores adipiscerer.

Quale autem mihi ex amplo et paene infinito medicarum disciplinarum cyclo argumentum sumerem? Non admodum dubitavi. Institui scilicet historiam scribere Cholerae Asiaticae, annis 1848 *et* 1849, *dum Ultrajecti regnabat, in vico hujus urbis littera C insignito observatae, mihique proposui, de ortu et incremento Cholerae, progressibusque, quos per totam urbem fecerit, deque multis ad eam pertinentibus rebus tantum literis mandare, quantum ad illustrandas observationes in vico C factas, necessarium esset. Ne vero quis putet, me opus illud aggressum esse, ut*

quaestionem illam, nostris temporibus, ut olim, saepius, sed frustra agitatam, et cujus solutionem admodum vereor, ne posteris relicturi simus, de ipsa Cholerae natura dirimerem. Tantum abest, ut ex scriptis meis vel minimam lucem ipsius scrutatoribus affulsuram esse credam, ut nisi legi, dissertationem postulanti, satisfacere debuissem, nihil horum procul dubio ex scriniis protulissem.

Exposita ratione, qua materiem scribendi invenirem, necesse erit, ordinem indicare, quem in scribendo secutus sum.

In 1° *capite topographiam dedi vici Ultrajectini littera C insigniti.*

In 2° *descripsi ortum Cholerae ac rationem, qua quum per universam urbem, tum per vicum C progressa est.*

In 3° *ambas epidemias, ratione habita cursus morbi, locorum, quibus saeviit et numeri aegrotantium in vico C observatorum, comparantur*

a. *inter se;*

b. *cum epidemia in reliqua urbe;*

c. *cum superioribus epidemiis ejusdem morbi.*

4um *caput aetiologiam complectitur.*

5um *nosographiam continet, quum generalem scilicet morbi descriptionem, tum observationes singulares de notabilioribus quibusdam symptomatibus, additis morborum historiis, quae mihi notatu dignae viderentur.*

In 6° *curam, quam instituimus, retuli.*

Notandum autem est, ea, quae duobus postremis capitibus contineantur, niti observatione 440 *tantum aegrorum, qui a Viris Doctissimis* E. Oudenhoff

et C. C. J. de Ridder *et a me ipso curati sunt, una cum iis, qui e vico C in nosocomium recepti fuerunt. Quandoquidem omnes fere hujus urbis medici aegros aliquos ex hoc vico suae curae mandatos habuerunt, difficile fuit, quemque medicorum de iis consulere.*

En, habes, lector humanissime, argumenti dispositionem, quod multo fusius sane et accuratius tractassem, nisi tempus mihi defuisset; nisi etiam, quod facile intelligitur, tempore illo, quo morbi vehementia nos occupatissimos tenebat, multa praeteriissem, quae notari nequiverant, sed quae fortasse non transiissem, si jam tum constituissem de Cholera dissertationem scribere. Praeterea, si quis inter legendum reperiat, me hic illic minus accurate scripsisse, attribuat id quaeso, mihi et negligentiae meae, non vero indiciis undique conquisitis. Haec enim et accurata et ubera et benevole mihi suppeditata fuerunt; nec possum, quin datam hic praefandi occasionem arripiam, ut memorem humanitatem eorum, qui mihi vel fontes, vel indicia, vel consilia quaerenti, auctoritate sua, vel opera, vel monitis adstiterunt.

Primum ergo ad Te me converto, Vir Amplissime N. P. J. Kien, *Praeses hujus urbis illustrissime, ut me Tibi gratum significem pro liberalitate, qua catalogum Cholera correptorum, in Curia reconditum, mihi inspiciendum dedisti; quod nisi Tua humanitate mihi concessum fuisset, nullo modo tam accurate argumentum meum tractare potuissem.*

Tibi quoque Vir Amplissime J. Hinlópen, *qui urbis legum curam tenes, haud minorem gratiam debeo,*

utpote qui mihi et certa de civium numero indicia, aliaque, quae a Te quaesiveram, humaniter suppeditasti.

Neque sane Te praeterire possum, vir Cl. P. J. I. de Fremerij, *quum roganti mihi continuo ea, quae Tu, Praeses Collegii, quod in hac civitate res medicas curat, de Cholera literis mandata, necdum typis expressa habebas, non negaveris, eoque mihi fontem praebueris, unde multa de Cholerae cursu per totam urbem haurire et scriptioni meae inserere potui. Gratum me velim, Vir Cl., pro benignitate Tua habeas.*

Porro Vobis me devinctum esse libenter profiteor, Viri Doctissimi E. Oudenhoff *et* C. C. J. de Ridder, *liberalitate Vestra, qua annotationes accurate factas, qua multa alia indicia, quibus indigebam, quin etiam memorabiles historias morborum a Vobis scriptas, mecum communicastis; quae omnia ad dissertationem componendam, quantivis mihi pretii fuerunt.*

Subtiles etiam et accuratas annotationes ideoque gratias sinceras Vobis debeo Vir Cl. L. C. van Goudoever *et Vir Doctissime* M. Imans, *quippe qui Cholera aegros e vico C in nosocomium receptos, observavistis, observationumque Vestrarum praecipuas et morborum singularium historias amice mihi suggessistis.*

Similiter Tu, Vir Doct. H. J. Broers *bene de me meaque dissertatione meritus es eo, quod casum morbi gravidae e vico C, qui in Diario Tuo obstetricio expositus erat, venia Tua mihi licuerit in usum meum convertere.*

Accipe et Tu, Vir Doct. P. J. Vermeulen, *hujus provinciae Archivarie, grati animi testificationem, quod permultos fontes, quibus opus erat, ad*

topographiam vici rite conficiendam, benevole mihi significaveris.

Tibi quoque, Vir Humanissime W. A. Boers, *qui scrinii urbani Praefecto administras, multas gratias pro auxilio, quod a Te accepi, debeo.*

Neque Tuas, Vir Humanissime J. de Groot, *vici Praefecte, intactas velim curas et adjumenta, quae in accurata tabulae topographicae compositione tanti momenti fuerunt.*

Vos omnes denique, quos in scribenda componendaque hac dissertatione benignos mihi auxiliatores et monitores expertus sum, publicam accipite gratissimi animi significationem.

Restat altera, mihique sane haud minus jucunda praefandi muneris pars, ut nempe carissimos Praeceptores, quorum lectionibus mihi in hac Academia frui licuit, alloquar.

Quorum vos agmen ducitis, Viri Clarissimi, Matheseos et Philosophiae Naturalis Professores; Vos praesertim, Cl. G. J. Mulder *et* R. van Rees, *qui tam publica institutione et sapientibus consiliis, quam humanitate et amore adeo me semper prosequeremini, ut Vestri beneficiorumque Vestrorum recordatio nunquam ex animo meo excidere possit. Me gratum quoque discipulum habeatis.*

Inprimis vero Vos affari laeta cogor praeteritorum memoria, Viri Clarissimi, in hac academia Medicae Facultatis Professores, qui et praeceptores et vitae duces mihi per maximum academici curriculi spatium fueritis.

Tu, Vir Clarissime B. F. Suerman, *Nestor vene-*

rande Facultatis, accipe pro egregia institutione omnibusque, quae Tibi accepta refero, sinceram animi mei gratiam, credasque velim, Vir Clarissime, Tui memoriam usque ad extremum vitae mihi suavissimam fore! Quodsi per Deum Optimum Maximum rata fiant, quae spero, haud minus Tibi ipsi senectus Tua grata erit, quam discipulis fuit salutaris.

Eadem me gratia Vobis, Viri Clarissimi J. L. C. Schroeder van der Kolk, F. C. Donders *et* L. C. van Goudoever *adstrictum esse palam profiteor, pro egregia discendi facultate, quam mihi saluberrimae Vestrae institutiones praebuerunt. Semper enim eundem scientiae amorem, idem disciplinarum studium, quo ipsi fervebatis, Vestro exemplo, Vestris admonitionibus in discipuli animo suscitare studebatis, idque ut nunc probe sentio, quantopere mihi in studiis profuerit, sic certe in reliqua vita agnoscere non desinam. Longam Vobis in disciplinarum et Academiae utilitatem, vitam deprecor.*

Quibus autem Te verbis alloquar, Vir Clarissime G. J. Loncq, *Promotor aestumatissime! si omnia, quae Tibi debeo, animo reputo, si institutiones Tuas praeclaras, cum domesticas de Materia Medica, Therapia generali et speciali, tum Clinicas in nosocomio academico, specto; si egregium amorem recordor, quo me adsidue prosequebare, consiliaque saluberrima enumero, quae mihi mirum quantum in studiis profuerint; si denique cogito, quanta humanitate atque patientia me in scribenda hac dissertatione, tum dubium confirmaveris, tum errantem correxeris, tum consilii inopem, per otium atque negotium, auxilio adjuveris;*

si haec et multo plura Tibi debita reputo, ingenue fateor, me nescire, quibus verbis Tibi veros animi sensus significem, aut quo me Tibi pietatis vinculo devinctum sentiam. Verum, dilectissime Praeceptor! simplicem hanc testificationem Tibi sufficere scio; quippe cui satis fuerit, si discipulis generique humano prospexeris. Ne posthac igitur, quum, scholis Tuis relictis, in societatem introierim, discipulus Tuus esse desinam, sed tamdiu Tuis consiliis fruar, quamdiu a summo Numine in Academiae Patriaeque salutem Tibi vivere concessum fuerit!

Utinam hic etiam alloqui possem Cl. E. J. W. von Baumhauer, *praematura morte suis scientiaeque ereptum, cujus scholis paulisper interfui.*

Tandem ad Vos venio, Commilitones carissimi, quibuscum per plures paucioresve annos in hac Academia versatus et sensim amicitiae vinculo junctus sum. Vestrum plures jam summos honores, suo quisque in genere studiorum, consecuti sunt et alio migrarunt; alii etiamnunc in hac academia versantur; sed sive procul sive mecum in hac urbe degatis, Vos omnes, precor, vivite felices meique memores!

CAPUT PRIMUM.

TOPOGRAPHIA.

Vicus Ultrajecti litterâ C insignitus in septentrionali situs est eademque occidentali urbis parte. Superficiem habet 150,000 ad 180,000 in quadrum ulnarum Neêrlandicarum. Solum ceteris urbis partibus humilius est, ita quidem ut, quod ab idoneo harum rerum judice audivi, cum agris urbem circumjacentibus inundari posset. Occidentalem et septentrionalem vici partem Rhenus fluvius cingit (*Cingel*), orientalem vero Vetus Canalis (*Oudegracht*), fluvii istius brachium, quod, postquam totam urbem a meridie ad septentrionem in duas dividit partes, extra portam septentrionalem (*Waard-Barrière*) in Vectam influit. Platea vero *Pottestraat* dicta et pauca alia loca ipsi vicina, ad eundem vicum pertinentia, ultra Veterem illum Canalem sita sunt. Fossae in vico illo non amplius inveniuntur. Olim vero et plateam, quae appellatur *het Zand*, et alia quaedam ejusdem vici loca Rhenus

alluisse dicitur. Amplissimus van Asch van Wijck 1), de pristino hujus fluvii cursu mentionem faciens, »Deze loop," inquit, »is nog herkenbaar in dat gedeelte der »*Oudegracht*, 't welk van de *Hamburgerbrug* af, langs »het *Stadhuis*, tot bij de *Viebrug* voortloopt, en wel»ligt bij de *Jacobie-Kerk*" (pertinet haec aedes cum locis mox commemoratis ad vicum C), »en de *Water-»steeg*, door den zoogenaamden polder bij het *Paarden-»veld*, langs het *Zand* heen, weder in den hoofdtak uit»liep." Nuper etiam in fastigio domi cujusdam plateae *het Zand* lapis conspiciebatur, cui infantis in cunis decumbentis et ita quidem flumini innatantis insculpta erat imago, in memoriam inundationis, cujus opportunitate ad eundem illum locum infans in cunabulis appulsus erat. Hinc etiam nomen portulae *het Wiegepoortje* in foro suario (*Varkenmarkt*) prope plateam *het Zand*. In eodem foro suario, secundum van der Monde, virum antiquitatis peritissimum, quo loco domus jam invenitur nº. 497, ibi olim portitor habitabat, in vicinitate canalis, in Rhenum, ut perhibent, influentis.

De soli natura, id quod vehementer doleo, perpauca tantum apud nonnullos auctores invenire mihi contigit, nec plura mihi communicarunt Geologi, in hacce urbe habitantes, quos de materia ista consului. Trado igitur, quae potui, non quae volui. In nonnullis locis solum cum Ultrajectinum in genere, tum illud, quod ad vicum litterâ C insignitum pertineat, argillaceum esse, in aliis turfaceum, in aliis denique arenaceum potissimum, quem-

---

1) Van Asch van Wijck, Geschiedkundige beschouwing van het oude Handelsverkeer der stad Utrecht, pag. 34.

admodum ex operibus Jacobi Scheltema 1) et Nicolai van der Monde 2), virorum doctissimorum, ita ex fossoribus puteorum, viris experientissimis, quos etiam consului, intelligere mihi licuit. Quemadmodum in aliis locis, ad partem urbis septentrionalem et occidentalem pertinentibus, ita in foro maximo (*het Vreeburg*), quod pro parte ad vicum litterâ C insignitum refertur, solum turfaceum est. In plateis vero *van Luinstraat* sive *Lobelstraat* et *naauwe Watersteeg*, inprimis ad planitiem occidentalem, quae dicitur *het Paardenveld*, atque in parte etiam plateae *Veenstraat* appellatae, argillaceum est, compositum ex argilla cum parva tantum copia arenae (*zware klei*), quale quoque invenitur in orientali urbis parte, ad aedem primariam (*bij de Domkerk*) et ad campum in Oudella (*de Kamp*). Alibi, scilicet in plateis *het Zand*, *de Zandstraat* et *wijde Watersteeg*, nec non in foro suario (*Varkenmarkt*), stratum soli superius argilla efficit cum magna copia arenae, (*zavelgrond*). Dantur etiam loca, ad externam vici partem, prope moenia demolita, in quibus stratum arenaceum prope superficiem positum inventum fuit, ita quidem, ut aqua fontinalis facile acquireretur. Nec desideratur contrarium. Quo loco scilicet quatuor platearum (*van de Catharijnestraat, het Zand, de wijde en naauwe Watersteeg*) obtinet decussatio, ibi arena fontinalis (*het welzand*) ad 100 demum pedum altitudinem invenitur. — Constat denique, solum in multis

---

1) Jacobus Scheltema, Geschied- en Letterkundig Mengelwerk, Dl. VI, tweede stuk.

2) N. van der Monde, Geschied- en Oudheidkundige beschrijving van de pleinen, straten, stegen, waterleidingen, wedden, putten en pompen der stad Utrecht, Dl. II.

hujus vici locis olim etiam humilius fuisse, seriori demum tempore ruderibus variisque terrenis substantiis aggeratum.

Magna, quae hoc etiam in vico, pro locorum varietate, datur soli diversitas, mira videri nequit reputanti, quot quantisque mutationibus a Romanorum inde temporibus vi potissimum aquarum solum istud obnoxium fuerit.

Complures vicus noster, quemadmodum in tabula topographica, huic dissertationi adnexa, videre est, plateas habet et angiportus et diverticula, 1154 domis ibidem positis formata. De quibusdam e plateis istis constat, eas jam decimo quarto seculo exstitisse, neque dubitandum, quin ortus earum multo etiam antiquior sit. Olim, id quod van der Monde ex antiquis documentis intellexit, arces hic erant et splendida nobilium gentium aedificia. Temporis vero lapsu ut consenuit vicus, ita pristinum amisit splendorem et pauperioribus potius quam ditioribus urbis incolis domicilia praebuit et praebet etiamnunc. Ultimis autem annis, quum moenia vicum pro parte includentia publica auctoritate demolita sint multaeque novae domi exstructae, quae novas etiam plateas formaverint, *Veenstraat* et *Lobelstraat* dictas, multis nominibus emendatus est vicus.

Primariae, quae dici merentur, plateae, *de wijde en naauwe Watersteeg*, inter latiores pertinent, quae Ultrajecti adsunt. Mediam quippe latitudinem habent 45 pedum. Latior quidem est *de wijde Watersteeg*, at vero *de naauwe Watersteeg*, quod ex nomine efficeres, nihil minus quam angusta est. Minus latae sunt *de Catharijnestraat*, *het Zand*, *de Zandstraat*, *de korte Viesteeg*, *de Pottestraat*, *de Bergstraat*, *de Koestraat*, *de Veenstraat*, 25 circiter pedum. Ceterae, *de*

Achterstraat, de nieuwe Zandstraat, de Tuinstraat, de Florasteeg, de Hamsteeg, de kromme Jacobie-Kerksteeg aliaeque multae, diverticulorum potius et angiportuum nomine insigniendae, multo sunt angustiores, 5 — 10 pedum.

Quatuor in vico isto plana dantur sive fora, magis minusve ampla. Primo, in meridionali vici parte, in censum venit *het Vreeburg*, omnium amplissimum, forum fere quadratum, superficiem habens 19000 circiter in quadrum ulnarum Neêrlandicarum, arborum serie in duobus lateribus circumdatum, pro dimidia parte et quod excurrit ad fines vici littera D insigniti situm. Dein porcorum forum, *de Varkenmarkt*, ad finem plateae *de korte Viesteeg*, non valde extensum illud. Dici fere posset platea dilatata. Porro sepulcretum S. Jacobi, *het Jacobie-Kerkhof*, circum aedem hujus nominis, pro parte arbustatum, quod multo minus est, 5000 scilicet circiter uln. N. Denique *het Paardenveld* ad finem plateae *de naauwe Watersteeg*, in occidentali vici parte situm, quod Rheno alluitur, circiter 7000 in quadrum ulnarum Neêrlandicarum. Est planum apertum, satis magnum, arboribus praeditum, in quo duae molae majores exstructae sunt. Commemorari etiam meretur compitum satis amplum, e concursu quatuor platearum (*de wijde en naauwe Watersteeg, de Catharijnestraat en het Zand*) formatum, in quo magna invenitur antlia lapidea. Arbores ceterum in vico isto vix adsunt.

Si excipias apertam illam planitiem, quae *Paardenveld* dicitur, et mediam fori maximi partem (*van het Vreeburg*), totus vicus pavimentatus est.

Munditics platearum procul abest a perfectione. Quo

tempore autem Cholera saeviebat, sordes publica auctoritate removebantur, expurgabantur cloacae, utque liber esset aquae pluvialis decursus, curabatur.

Altitudo domorum multum differt. In quibusdam plateis, *het Zand, de Achterstraat, de nieuwe Zandstraat, de Veenstraat, de naauwe Watersteeg, het Meypoortje, de Groenesteeg, de Hamsteeg, de Florasteeg*, aliisque pluribus diverticulis et angiportis plerumque unius modo tabulati sunt, quo fit, ut angustiores etiam angiportus minus angusti esse videantur; alibi, *in de Pottestraat, korte Viesteeg, Catharijnestraat, Zandstraat, wijde Watersteeg*, vulgo duorum, dum ad Veterem Canalem et in foro maximo (*het Vreeburg*) plures inveniuntur domi trium tabulatorum.

In genere domi admodum parvae sunt, nec raro in uno eodemque angusto saepe conclavi numerosa familia degit, quod mirum videri nequit reputanti, 1154 domos a 1528 familiis habitari. In eodem saepe cubili parentes cum pluribus liberis dormiunt, nec separantur sexus. Quod uti moribus, ita viribus incolarum perquam noxium esse, quis est, quin intelligat? Humilitas soli facit, ut pleraeque domi admodum humidae sint. Pone multas areae quidem adsunt, quae aëris perflatum admittunt, at vero permultae domi sunt, in angiportis potissimum imperviis sitae, in quibus aër bene renovari prorsus nequit. Pessimae omnium sunt domunculae, quae a Korvezee quodam nomen habent, *de keukentjes van* Korvezee. Ad has domunculas, pone plateam *de Achterstraat* sitas, aditus datur cum per domos hujus plateae n°. 310 AA, ceteris insignitas, tum etiam, quamquam difficillimus ille, ad posticam partem per angipor-

tum angustissimum. Soli plateae et angiportus superficie inferiores adeo humiles sunt, ut stare in unica, quam continent, cellula erecto corpore homo adultus, vel parvae staturae, fere non possit.

Loca, in quibus naturae necessitati paretur, vel in ipsis domis inveniuntur vel extra easdem. Dantur etiam foricae publicae, vulgo apertae, valde sordidae.


Numerus incolarum, secundum ultimum censum, die 1 m. Januarii anni 1850, adscenderat ad 6799. Masculini sexus erant 3167, feminini 3632. Ex his 1513 undecimum aetatis annum nondum attigerant. Inter undecimum et vicesimum primum erant 1342. E 3944 natu majoribus 2126 nupti erant; 2 matrimonium jam inierant, qui vicesimum aetatis annum nondum compleverant. 600 in viduitate versabantur.

Quamquam plures in vico isto fabri habitant et opifices, labore victum parantes sibi suisque sufficientem, nec pauci quoque meliore conditione cives, imo vero fortunati ibidem degunt, ad veterem potissimum canalem et in foro maximo, permulti tamen tristissimis vexantur paupertatis miseriis.

Inter operarios recensentur 14 pistores, 20 lanii, 59 tinctores, 88 fabri lignarii, 95 ferrarii, 46 aerarii, 57 caementarii, 100 sartores, 72 sutores, 10 doliarii, 50 typothetae, 19 scriniarii, 102 torniones, 21 tegetifici, aulaearii 14, sartrices 155, textrices 114. Enumerantur porro 334 famuli, 123 mercatores, 52 caupones, 17 ludi magistri, multique alius professionis homines, quos inter UNUS MEDICUS. Nullius professionis commemorantur 3446, e quibus 280 sexus masculini, 1603 sexus feminini decimum sextum aetatis annum jam compleverunt.

Pauperes, qui maximum hujus vici incolarum numerum efficiunt, phlegmatici vulgo temperamenti sunt, habitus cachectici, sordidi, haud raro horrendi. Cibi, quibus utuntur, consistunt praesertim e solanis tuberosis, fabis et pane; carnem vix norunt. Pro potu vel aqua utuntur fontana, antliis, quae in vico isto numerosae sunt, hausta, vel tenui coffeae infuso vel etiam, cujus frequens eheu abusus est, spiritu vini.

Atque haec quidem pro instituti nostri ratione de hocce argumento sufficere videntur.



CAPUT SECUNDUM.

DESCRIPTIO MORBI CURSUS.

I. PRIOR PARS EPIDEMIAE INDE A DIE 24 M. OCTOBRIS A. 1848 USQUE AD 18um M. MAJI A. 1849.

Die martis, qui 24 erat m. Octobris 1848 Belia Rommersburg, puellula decem annos et tres menses nata, quae apud parentes degebat, extra portam *Waard-Barrière*, in loco *Molenwerf* dicto, vico M, N°. 164 G, medicorum curae mandabatur. Symptomata Cholerae Asiaticae propria apud eam observabantur, et intra 12 horarum spatium fato cessit, die 25° m. Octobris. Die 26 Octobris morbus iterum apparuit in tribus pueris, qui in eodem vico M habitabant, unus in via *Korsteeg* prope ipsam portam *Waard-Barrière*, in domo N°. 31 notata, annum et quatuor menses agens, qui paucis post diebus revaluit; alter, qui 4 annos et 6 menses habebat, in domo angiporti ad *Zeedijk*, quae numerum gerit 518 E, eodem illo die obiit; tertius Arius van Doorn puer 7 annos natus, habitans prope *Laauwenrecht*, in vicinia officinae domini

Hoogeveen, in qua cerussa fabricatur, N_o. 210, die 9^e^ Novembris sanitati restitutus est. Itaque jam Cholera Asiatica Ultrajectum invaserat.

Neque tamen morbus illico dispergebatur, aut jam ab initio inde vehementer saeviebat. Spatio diem martis, 24um Octobris inter et diem solis, ejusdem mensis 29um, quinque homines, pueri omnes, morbo capiebantur, quorum duo diem obierunt. Sequente hebdomade numerus correptorum *decem* augebatur, quorum vero nunc dimidia pars adultis constabat, quorumque *quinque* succubuerunt, omnes habitantes in vico M.

Nunc primum etiam aegri in nosocomium Cholera laborantibus destinatum, quod tunc temporis situm erat in platea *Bagijnehof* vici H, recipiebantur, idque quidem sub vesperam diei 31 Octobris, quum Gertruda Klein, uxor, annos 39 nata, eo transportabatur, quam eodem illo vespere secutus est Petrus van Zwol, fabri ferrarii famulus, qui 35um aetatis annum agebat. Vicini erant, habitantes in loco, qui vocatur *Hopakker,* in vico M, at diversa utebantur domo. Eodem fere tempore morbo correpti, brevi fato cesserunt. Atque hi quidem primi erant Cholera laborantes, quos ego vidi.

Inde morbus lente increvit, ut apparet e conspectu, quem hic adjecimus, ubi numerus correptorum, mortuorum et sanitati restitutorum, pro singulis quinque dierum spatiis, uti per primam epidemiae partem sese habuit, inveniri potest.

Tabula, qua indicatur, quot homines Ultrajecti inde a die 24 m. Octobris anni 1848 usque ad diem 18 m. Maji anni 1849 singulis quinque dierum spatiis, cum in universa urbe, tum in vico ipsius litterâ C insignito, tum denique in ceteris vicis conjunctis Cholera correpti sint, quot sanitati restituti, quot mortui.

SPATIA QUINQUE DIERUM.	IN TOTA URBE.			IN TOTA URBE, EXCEPTO VICO C.			IN VICO C.		
	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Aegri.	Sanati.	Mortui.
Inde a die 24 Oct. usque a. d. 1 Nov. 1848.	7	3	4	7	3	4	—	—	—
» 1 Nov. » 6 » »	10	5	5	10	5	5	—	—	—
» 6 » » 11 » »	18	7	11	17	6	11	1	1	—
» 11 » » 16 » »	8	5	3	8	5	3	—	—	—
» 16 » » 21 » »	17	8	9	17	8	9	—	—	—
» 21 » « 26 » »	21	11	10	20	11	9	1	—	1
» 26 » » 1 Dec. »	28	11	17	20	10	10	8	1	7
» 1 Dec. » 6 » »	33	12	21	26	10	16	7	2	5
» 6 » » 11 » »	43	19	24	37	17	20	6	2	4
» 11 » » 16 » »	46	21	25	36	16	20	10	5	5
» 16 » » 21 » »	72	35	37	56	26	30	16	9	7
» 21 » » 26 » »	46	18	28	37	13	24	9	5	4
» 26 » » 31 » »	26	13	13	23	12	11	3	1	2
» 31 » » 5 Jan. 1849.	22	17	5	14	10	4	8	7	1
» 5 Jan. » 10 » »	13	8	5	9	6	3	4	2	2
» 10 » » 15 » »	17	5	12	16	5	11	1	—	1
» 15 » » 20 » »	22	9	13	22	9	13	—	—	—
» 20 » » 25 » »	11	5	6	10	5	5	1	—	1
» 25 » » 30 » »	11	6	5	10	6	4	1	—	1
» 30 » » 4 Febr. »	8	3	5	7	3	4	1	—	1
» 4 Febr. » 9 » »	10	5	5	10	5	5	—	—	—
» 9 » » 14 » »	8	4	4	7	3	4	1	1	—
» 14 » » 19 » »	15	5	10	13	3	10	2	2	—
» 19 » » 24 » »	7	3	4	6	3	3	1	—	1
» 24 » » 1 Mart. »	10	5	5	9	5	4	1	—	1
» 1 Mart. » 6 » »	5	3	2	4	2	2	1	1	—
» 6 » » 11 » »	14	4	10	14	4	10	—	—	—
» 11 » » 16 » »	14	8	6	13	8	5	1	—	1
» 16 » » 21 » »	11	5	6	10	4	6	1	1	—
» 21 » » 26 » »	10	3	7	8	3	5	2	—	2
» 26 » » 31 » »	3	1	2	3	1	2	—	—	—
» 31 » » 5 April. »	4	2	2	4	2	2	—	—	—
» 5 April. » 10 » »	4	1	3	4	1	3	—	—	—
d 10 » » 15 » »	1	—	1	1	—	1	—	—	—
» 15 » » 20 » »	5	3	2	5	3	2	—	—	—
» 20 » » 25 » »	1	1	—	—	—	—	1	1	—
» 25 » » 30 » »	3	—	3	2	—	2	1	—	1
» 30 » » 5 Maji. »	1	1	—	1	1	—	—	—	—
» 5 Maji. » 10 » »	3	2	1	3	2	1	—	—	—
» 10 » » 18 » »	5	3	2	5	3	2	—	—	—
Summa..............	613	280	333	524	239	285	89	41	48

Inde a die 24 Octobris ad 19um Novembris, itaque per spatium 4 circiter hebdomadum, Cholera propemodum in solo vico M commorata est; e 54 enim eo spatio correptis, 46 ad illum vicum pertinent. *Tres* erant in vico H, qui nullum omnino habuerant commercium cum laborantibus in vico M; *tres* item in vico I, quorum duo ex eadem domo eademque erant familia; *unus* in vico A.

Die 9 Novembris *primus* fuit correptus in vico C, cujus situm supra descripsimus. Puer erat 12 annos natus, Petrus de Marie, in via *Achterstraat* N°. 524 F, qui tunc revaluit, at postea, die 23 Julii, iterum Cholera affectus, ejusdem mensis die 30, in nosocomio succubuit. Quantum equidem indagare potui, puer ille non fuerat in foco Cholerae, nec cum aliquo morbo jam correpto habuerat contactum.

Circa morbi progressionem in vico M, non multa sunt notanda. Praecipue in hujus vici parte septentrionali orientem versus versabatur, dum in oppositâ Vectae parte paucos tantummodo aggrediebatur. Vicinitates quaedam, prae ceteris locus quem dicimus *Hopakker*, admodum vexabantur. Ibi loci 31 domi tantum habentur, non adeo angustae, ubi undique aëri aditus patet. In unaquaque familia fere Cholera apparuit. Domus autem istae, ab hominibus inferioris conditionis habitatae, recentiori demum tempore erant aedificatae, pro parte in loco postremis annis comparato, fossâ quadam adaequatâ, partim in loco, ubi antea sordes urbis conferrebantur, et reservabantur, donec demitterentur. Utrum haec domorum collocatio causis annumerari mereatur, quibus factum sit, ut ibi morbus exstiterit, certe adeo saevierit, definire non ausim.

E vico M Cholera transiit ad locum urbis inde procul remotum, vicum A, in vicinitate pristini *Servaeshek*, ubi angulos quosdam, angiporta impervia (*poortjes*) sedem sibi vindicavit. Inde prodiit in ejusdem vici plateas *Kreupelstraat* et *Magdalenasteeg;* porro extra portam *Catharijne-barrière*, in vicum, qui immediate cohaeret cum loco *de Waard*, ubi primus corripiebatur die 3 Decembris, ubique morbus exinde, per totum fere spatium, ad diem 23^{m} Decembris permansit, quo spatio finito pauci tantum insuper ibidem correpti fuerunt.

Interim huc usque *unus* modo, die 26 Novembris, extra portam urbis meridionalem, *Tolsteeg-barrière*, morbo captus fuerat; hîc tamen dein initio mensis Decembris, plures invadere coepit. — In vico C inde a primo correpto, die 9° Novembris, nullas Cholera exseruit vires, donec die hujus mensis 23 denuo ibi prodiret. Mense autem Novembri pauci tantummodo corripiebantur, at dein, ineunte mense Decembri, hic quoque inprimis saevire coepit, ab eo inde tempore, quotidie fere, unum, pluresve abripiens hujus vici incolas. Unum est e locis, quae postea, tam priori quam alterâ epidemiae periodo, hâc vero inprimis, tam horrendum in modum fuerunt vexata.

Inde a die 19 Novembris, singulis singularum hebdomadum diebus, numerus correptorum increvit; mox in omni parte urbis et vicorum, qui extra urbem habentur, prodibant, atque spatio diem 16um inter et 20um Decembris, ad fastigium morbus adscendit. Nimirum hocce 5 dierum spatio 72 homines adoriebatur, 38 e sexu masculino, quorum 21, 34 e genere feminino, quarum 16 succubuerumt. Prae ceteris autem dies 18

Decembris citandus est, quia eo plurimi correpti sunt, quippe quorum summa 26 contineat.

Inde a die Decembris 26°, sensim paulatimque morbus decrevit, ita ut a die inde 20° Januarii anni 1849 ad exeuntem mensem Martium sequentem summa correptorum singulis *quinque* dierum spatiis, plures quam 15 non contineret; ceterum, circum numeros 14, 10 aut his etiam inferiores versaretur; unde spes oriebatur, fore ut Cholera magis magisque diminuens, tandem prorsus evanesceret, quae spes alebatur insuper eo, quod post finitum mensem Martium, quo 59 fuerant correpti, mense Aprili numero 16 haud plures, et ad diem 18um usque Maji 9 tantum morbo laborantes indicabantur 1).

Itaque Epidemia finita videbatur, ac spes increscebat fore, ut mox ab hoste illo multos tam crudeliter invadente, et omnibus minante liberati essemus, quamvis ab altera parte, mora ejus diuturna in aliis patriae urbibus, et vero reditus in loca unde jam decesserat, haud exiguam moverent sollicitudinem, ne et in hac urbe vires suas denuo intenderet.

Atque his quidem praemissis, sequitur, ut accurate referamus, quem cursum Cholera Asiatica habuerit in vico litterâ C insignito, scilicet in prima epidemiae parte, inde a die 9° Novembris 1848, usque ad diem 26um Aprilis anni 1849. Quo melior autem hujus cursus

---

1) Cf. Historia prioris hujus Epidemiae partis in universa Provincia Ultrajectina, quam conscripsit Cl. B. F. SUERMAN, inserta Collectaneis a Cl. DONDERS et Cl. JANSEN editis sub titulo: *Nederlandsch Lancet*, 2de Series, 5de Jaargang, n°. 5.

conspectus esset et facilior locorum, ubi morbus observatus fuerit, repraesentatio, duas tabulas confecimus, quarum prior indicem morbi cursûs chronologicum continet, altera conspectum ejus regni topographicum. Addidimus corollaria quaedam.

Index chronologicus eorum, qui in vico litterâ C insignito Cholera Asiatica correpti fuerunt, in priori epidemiae parte, inde a die 9 *m. Novembris anni* 1848 *usque ad diem* 26 *m. Aprilis anni sequentis, commemoratis plateis, angiportis, aliisque locis ubi habitabant, et domorum numeris.*

1848.						
9	Nov.	N°.	1	Achterstraat....	N°.	524 F
23	»	»	2	Catharijnestraat..	»	894
26	»	»	3	Nieuwe Zandstr..	»	310 F
27	»	»	4	» »	»	331
»	»	»	5	Bergstraat......	»	975
29	»	»	6	Zuilensteeg	»	945
»	»	»	7	Bergstraat	»	975
30	»	»	8	Nieuwe Zandstr..	»	310 F
»	»	»	9	» » ..	»	»
»	»	»	10	» » ..	»	»
2	Dec.	»	11	» » ..	»	»
3	»	»	12	Zand, P.v.Lancee.	»	342 A
»	»	»	13	Naauwe Waterst.	»	545
»	»	»	14	Bergstraat......	»	974
5	»	»	15	Zand	»	344
»	»	»	16	Bergstraat......	»	974
»	»	»	17	»	»	»
7	»	»	18	Achterstraat....	»	310 RR
»	»	»	19	Zand.........	»	344
»	»	»	20	Koestr., Waterp.	»	825
9	»	»	21	Oudegracht.....	»	24
10	»	»	22	Nieuwe Zandstr.	»	310 F
»	»	»	23	Bergstraat, Hofje.	»	842
11	»	»	24	van Luinstraat..	»	515
12	»	»	25	Achterstraat....	»	310 HH
»	»	»	26	»	»	310 GG
»	»	»	27	Zand	»	345
»	»	»	28	Wijde Watersteeg.	»	497
13	»	»	29	Varkenm. Poortje.	»	598 D
»	»	»	30	Bergstraat......	»	855
15	»	»	31	Kruidmolen	»	327
»	»	»	32	Nieuwe Zandstr.	»	330 B
»	»	»	33	Zand.........	»	373
16	»	»	34	Zandstraat.....	»	304
»	»	»	35	»	»	428
»	»	»	36	Bergstraat, Hofje.	»	842 B
»	»	»	37	» »	»	844
18	»	»	38	Zandp. v. Lancee.	»	342 B
»	»	»	39	Groenesteeg	»	423
»	»	»	40	van Luinstraat..	»	516
»	»	»	41	» »	»	»
»	»	»	42	Varkenmarkt....	»	687
»	»	»	43	Naauwe Waterst.	»	1000
»	»	»	44	Loco incognito.		
19	»	»	45	Zand..........	»	373

1848.						
19	Dec.	N°.	46	Groenesteeg....	N°.	423
»	»	»	47	Wijde Watersteeg.	»	480
»	»	»	48	Bergstr., Hofje..	»	840
»	»	»	49	Loco incognito..	»	
21	»	»	50	Achterstraat....	»	310 DD
»	»	»	51	Zandstraat	»	388 B
»	»	»	52	»	»	»
»	»	»	53	Loco incognito.		
22	»	»	54	» »		
24	»	»	55	van Luinstraat..	»	516 C
»	»	»	56	Bergstraat......	»	972
25	»	»	57	Zandstraat.....	»	388 B
»	»	»	58	Zand	»	354
26	»	»	59	Naauwe Waterst.	»	509
28	»	»	60	Loco incognito.		
30	»	»	61	Koestraat......	»	804
31	»	»	62	Zandstraat.....	»	275
»	»	»	63	Zand, P. v. v. St..	»	373 CG
1849.						
1	Jan.	»	64	Koestr., Vogelp..	»	814
2	»	»	65	Achterstraat....	»	310 FF
»	»	»	66	Zand, P. v. v. St.	»	373 CG
»	»	»	67	» » » »	»	»
»	»	»	68	van Luinstraat..	»	515 C
»	»	»	69	» »	»	515 E
5	»	»	70	Naauwe Waterst.	»	541
7	»	»	71	Achterstraat....	»	310 FF
»	»	»	72	Zand, P. v. v. St..	»	373 CG
»	»	»	73	Bergstraat......	»	855
12	»	»	74	Naauwe Waterst.	»	539
24	»	»	75	» »	»	524
29	»	»	76	Koestr. Waterp..	»	826
1	Febr.	»	77	Catharijnestraat..	»	898
9	»	»	78	Meijpoort......	»	449
16	»	»	79	Catharijnestraat..	»	890
17	»	»	80	Wijde Watersteeg.	»	480
21	»	»	81	Zandstraat.....	»	261
27	»	»	82	Lange Hamsteeg.	»	638
1	Mart.	»	83	Groenesteeg....	»	393
11	»	»	84	Wijde Watersteeg.	»	233
18	»	»	85	Achterstraat....	»	524 E
21	»	»	86	Wijde Watersteeg	»	476
22	»	»	87	» »	»	227 A
20	April.	»	88	Meijpoort......	»	257
26	»	»	89	»	»	»

Index domorum ad vicum litterâ C insignitum pertinentium, in quibus Cholera Asiatica, durante prima epidemiae parte, anno 1848 *et sequenti, observata fuit, commemoratis plateis, angiportis aliisque locis, ubi sitae sunt.*

9 Dec.	N°. 21	Oudegracht	N°. 24
22 Mart.	» 87	Wijde Watersteeg.	» 227 A
11 »	» 84	» »	*» 233
20 April.	» 88	Meijpoort	» 257
26 »	» 89	»	» »
21 Febr.	» 81	Zandstraat	» 261
31 Dec.	» 62	»	» 275
16 »	» 34	»	*» 304
26 Nov.	» 3	Nieuwe Zandstraat.	» 310 F
30 »	» 8	» »	» »
» »	» 9	» »	» »
» »	» 10	» »	» »
2 Dec.	» 11	» »	» »
10 »	» 22	» »	» »
21 »	» 50	Achterstraat	» 310 DD
2 Jan.	» 65	»	» 310 FF
7 »	» 71	»	» »
12 Dec.	» 26	»	» 310 GG
» »	» 25	»	» 310 HH
7 »	» 18	»	» 310 RR
15 »	» 31	Kruidmolen	» 327
» »	» 32	Nieuwe Zandstraat.	» 330 B
27 Nov.	» 4	» »	*» 331
3 Dec.	» 12	Zand, P. v. Lancee.	» 342 A
18 »	» 38	» » » »	» 342 B
5 »	» 15	»	» 344
7 »	» 19	»	» »
12 »	» 27	»	» 345
25 »	» 58	»	» 354
15 »	» 33	»	» 373
19 »	» 45	»	» »
31 »	» 63	Zand, P. v. v. St.	» 373 CC
2 Jan.	» 66	» » » » »	» »
» »	» 67	» » » » »	» »
7 »	» 72	» » » » »	» »
21 Dec.	» 51	Zandstraat	» 388 B
» »	» 52	»	» »
25 »	» 57	»	» »
1 Mart.	» 83	Groenesteeg	» 393
8 Dec.	» 39	»	» 423
12 »	» 46	»	» »
21 »	» 35	Zandstraat	*» 428
16 Febr.	» 78	Meijpoort	» 449
91 Mart.	» 86	Wijde Watersteeg.	» 476
19Dec.	» 47	» »	» 480
17 Febr.	N°. 80	Wijde Watersteeg.	N°. 480
12 Dec.	» 28	» »	***» 497
26 »	» 59	Naauwe »	*» 509
» »	» 24	van Luinstraat ...	» 515
2 Jan.	» 68	» » ...	» 515 C
» »	» 69	» » ...	» 515 E
18 Dec.	» 40	» » ...	» 516
» »	» 41	» » ...	» »
24 »	» 55	» » ...	» 516 C
24 Jan.	» 75	Naauwe Waterst..	» 524
18 Aug.	» 85	Achterstraat	» 524 E
9 Nov.	» 1	»	» 524 F
12 Jan.	» 74	Naauwe Waterst..	» 539
5 »	» 70	» »	*» 541
3 Dec.	» 13	» »	*» 545
13 »	» 29	Varkenm. (Poortje).	» 598 D
27 Feb.	» 32	Lange Hamsteeg..	*» 638
18 Dec.	» 42	Varkenmarkt	» 687
30 »	» 61	Koestraat	*» 804
1 Jan.	» 64	» Vogelp..	» 814
7 Dec.	» 20	» Waterp.	» 825
29 Jan.	» 76	» »	*» 826
19 Dec.	» 48	Bergstraat, Hofje.	» 840
10 »	» 23	» »	» 842
16 »	» 36	» »	» 842 B
» »	» 37	» »	» 844
13 »	» 30	» »	» 855
7 Jan.	» 73	» »	» »
16 Febr.	» 79	Catharijnestraat ...	*» 890
23 Nov.	» 2	» ...	» 894
1 Febr.	» 77	» ...	» 898
29 Nov.	» 6	Zuilensteeg	*» 945
24 Dec.	» 56	Bergstraat	*» 972
3 »	» 14	»	» 974
5 »	» 16	»	» »
» »	» 17	»	» »
27 Nov.	» 5	»	» 975
29 »	» 7	»	» »
18 Dec.	» 43	Nieuwe Watersteeg.	» 1000
» »	» 44	Loco incognito.	
19 »	» 49	» »	
21 »	» 53	» »	
22 »	» 54	» »	
28 »	» 60	» »	

NB. In domis uno pluribusve asteriscis notatis a° etiam 1832 vel 1833 unum pluresve habitantium Cholera afflixit. Obtinuit etiam in aliis domis, quas tamen, quum in catalogo, tunc temporis facto, aut nullo modo denotatae sint, quod in 32 valet, aut numeris tantum, non addita literâ, indicare nequeo. Sub No. 310 aegri commemorantur 36, 2 sub No. 330, 1 sub No. 333, 1 sub No. 346, 8 sub No. 373, 1 sub No. 516, 4 sub No. 524. 2 sub. No. 533. Ceteri, annis istis in vico C Cholera correpti, habitabant in domis nunc non affectis

Corollaria.

E tabulâ chronologicâ hic adjectâ videmus, primum correptum occurrere die 9° Novembris, in via *Achterstraat,* in domo N°. 524 F insignitâ, via ceteris omnibus propemodum viis vici C longius remota a parte vici M maxime vexata. Haec via, sita quae est in angulo hujus vici, proxime Rheno adjacet, qui hunc angulum includit, et dein effluit in flumen Vectam. Quamquam via haecce non adeo est ampla, et inter maxime angustas vici C numerari potest, a parte tamen posteriori satis amplâ planitie terminatur.

Ad diem usque 23um Novembris unus tantum fuerat correptus, illo vero die alter accessit e *via Catharinae,* quae in medio vico sita est. Erat ille vir, qui paucis ante diebus Roterodamo, ubi morbus saeviebat, profectus hîc advenerat, quique hospitio utebatur in *via Catharinae,* unde in nosocomium postquam esset transportatus, die sequenti obiit.

Porro die 26°, ut et die 27° Novembris, quis corripiebatur in vicinia loci, unde primus correptus prodierat. Die autem posteriori citato, praeterea quendam morbus invasit, qui domum habitabat in extrema parte viae *Bergstraat*, N°. 975 insignitam, item in Rheni viciniâ.

Per menses dein Novembrem et Decembrem, quotidie,

unus, duo, tres, subinde *plures,* immo die 18° Decembris *septem* recens correpti indicabantur, dum pauci tantummodo praeteribant dies, quibus nullus accedebat. Per totum hunc mensem 53 homines ex hoc vico morbus adoriebatur, quorum 26 valetudinem recuperaverunt.

Notandum est omnino, morbum ad diem usque *septimum* Decembris, quo spatio 19 primi corripiebantur (modo excipere velis virum, qui Roterodamo hîc advena, die 24° Novembris occidit) in ea tantum vici parte apparuisse, quae sita est inter loca: *de Catharijnestraat, het Zand* et flumen *Rheni,* quod ibi vici terminum constituit, ac plurimos in plateis *Achterstraat, nieuwe Zandstraat* et extrema parte viae *Bergstraat* correptos in vicinia hujus fluminis degisse; porro in una eademque familia saepius non tantum *unum,* at plures vulgo corripi. Cujus rei origo fortasse in eo est quaerenda, seu quod diversae familiae magis Cholerae aptae fuerint, sive domus habitarint, quae admodum morbi caussae primariae aut ejus caussis faverent. Sic v. c. die 26° Novembris in domo N°. 310 F viae *Zandstraat unus* corripiebatur, die 30° *tres,* et die 2° Decembris denuo *unus,* omnes ejusdem familiae.

Die 10° Decembris rursus in eadem domo quemdam morbus aggressus est, qui vir, ni fallor, hanc domum habitabat, postquam in ea jam tota familia, patrefamilias excepto, exstincta fuerat. Sic quoque in via *Zandstraat* in domo N°. 975 *duo,* in domo N°. 974 *tres,* in domo N°. 344, in loco *het Zand, duo* succubuerunt ejusdem familiae socii.

Die 12° Decembris duo correpti sunt in plateae *Achterstraat* domo N°. 310 GG et HH insignitâ, cujus ad

tergum sita sunt domuncula, quae vocari solent *de keukentjes van* Korvezee, quorum in topographia mentionem fecimus, pag. 6 et seq. Mirum omnino videtur id, quod morbus non prius exstiterit in his, an dicam *haris*, (tanta enim ibi adest immundities, adeo sunt exiguae, dum aëri aditus vix ibi pateat), homini vix habitabilibus; itaque eorum incolae immunes fuerint, dum ubique in vicinia tam multos invaderet epidemia.

Per totum sequens spatium magis magisque epidemia dispergebatur, ita ut subinde eodem die, locis longius a sese invicem remotis, homines corriperentur, quamquam universe praecipue commorata fuerit in plateis *nieuwe Zandstraat* ubi 8, *Achterstraat* ubi 8, *het Zand* ubi 12, et *Bergstraat* ubi 12 homines correpti sunt.

Id quod propemodum certo exspectaremus, scilicet fore ut domus quoque sibi invicem adjacentes ab eodem invaderentur hoste, non nisi raro obtinuit; vulgo nonnullae e serie praetermittebantur, et primum praetermissae, post plures demum dies hebdomadesve afficiebantur. Ubi porro tabulam sequamur, videmus, imprimis mense Decembri vicum C a Cholera fuisse vexatum, dum epidemia jam inde ab exeunte mense Novembri inceperat, dein mense Januario, Februario, Martio morbum magna pro parte decrevisse, et mense Aprili prorsus evanuisse. Singulis ex ordine citatis mensibus, corripiebantur *decem* mense Novembri, *quinquaginta tres* mense Decembri, *tredecim* mense Januario, *sex* mense Februario, *quinque* mense Martio, *duo* mense Aprili.

Die 2° Januarii insuper *quinque;* die 7° *tres*, adoriebatur morbus, exinde vero, saltem vim epidemiae in hoc vico finitam aestimare licebit, quum deinceps, non

nisi singula *trium, quinque, decem* dierum spatia, aliquis hic illic correptus annunciaretur.

Cunctus incolarum die numerus die 1° Januarii 1850 summam constituebat 6799. His ubi computaveris eos, qui Cholera perierunt, numero 356 1), pro toto civium numero invenies summam, qualis circiter tunc fuerit, 7155; horum 89 sunt correpti, quod ad 1,24 pro centenis redit.

Per totam urbem corripiebantur ad diem usque Maji 18um, 613 homines; postremo populi censu numerus incolarum totius urbis Kal. Januariis 1850 apparuit 47961; his computatis iis, qui utraque epidemia perierunt numero 1663, redit ad 1,23 pct. Et pro universa urbe praeter vicum C, ubi 524 morbo laboraverunt, ad 1,23 pct.

Inde patet, vicum C paulo, at vix tamen gravius a morbo fuisse affectum quam ceteram urbem; atque ubi reputaveris, haud exigua pro parte ab inferioris conditionis hominibus, quin pro parte admodum pauperibus, hunc vicum esse habitatum, qui universe morbo multo videntur aptiores, numerum 89 non ita magnum


1) Ut incolarum numerum eo tempore, quo Cholera primum apparuit, die 24° Oct. 1848 pro tota urbe, pro cetera urbe praeter vicum C, et pro uno vico C, quam accuratissime fieri posset, invenirem, non tantum Cholerâ, at vero aliis etiam morbis mortuos iis computare, ac recens natos substrahere sine dubio debuissem. Quum tamen hunc numerum pro singulis vicis haud sine magna difficultate mihi comparare possem, ac, quantum ejus fieri posset. in computationibus meis eandem sequi vellem rationem, hos praetermisi, unde tamen quae existit differentia, non adeo erit magna. Praeterea incolarum numerus quotidie mutatur; itaque recens natorum nulla ratio foret habenda, et durante Cholera, aliis morbis mortui, per totam epidemiam, Cholerae expositi aestimarentur.

dices, ratione habita ceterae urbis, ubi nullus fere alius vicus, a tam egenis habitatus, invenitur.

Populi censu Kalendis Januariis 1850 item apparuit, in vico C 1154 haberi domus, a 1528 familiis habitatas. Harum domorum in 63 morbus invasit; 70 autem familiae ab eo fuerunt vexatae. In una domo, N°. 310 F insignita, 6 homines, quorum *quinque* ex eadem erant familia, in alia, N°. 373 cc notata, quatuor ejusdem familiae socii afficiebantur; *duo* vel *tres* ex eadem familia pluribus in domibus.

Cholera, hâcce epidemia, in ea vici parte commorata est, quae a pauperioribus habitatur, et viis angustioribus, praesertim angiportis imperviis similibusque locis inhaesit, inprimis quoque illi vici parti, uti jam vidimus, quae proxime flumini adjacet, quod hîc vicum terminat; aliae vel angustiores domus, atque ab hominibus haud lautioris conditionis habitatae, immunes manserunt, dum et multa loca, plus aëri quae patent, et viae ampliores a Cholera vexabantur. Unus tantum ad Canalem Veterem prodiit; ceterum neque ibi loci, neque in foro *Vredeburg*, a maxime honestis lautiorisque conditionis civibus habitato, morbus apparuit.

II. PARS ALTERA EPIDEMIAE INDE A DIE 28° MENSIS MAJI A. 1849, USQUE AD 12um OCTOBRIS EJUSDEM ANNI.



Eodem, quem supra secuti fuimus, ordine servato, primum quem ortum, quam progressionem, quem denique finem altera haec epidemiae pars in universa urbe habuerit, breviter adumbrabimus, additâ tabulâ ; deinde duabus itidem tabulis et morbi cursum in vico litterâ C insignito, et domos hujus vici, in quibus observatus fuit, indicabimus; tandem corollaria quaedam subjungemus.

Inde a die 18° mensis Maji usque ad diem ejusdem mensis 28um, per spatium igitur *decem* dierum, nullum Cholera adorta fuisse videtur. Hoc ipso vero die morbus iste crudelis, denuo duas invasit mulieres in vicinitate illa, ad angulum sitâ, ubi urbis Cingulus, e regione loci quo quondam propugnaculum fuit *Sterrenburg*, in *via Jeremiae* extenditur fossam versus, nobis *Kruisvaart* dictam, quaeque vicinitas paucis tantum domibus constat ; mulieres autem istae brevi succubuerunt.

Mense Junio morbus iterum caput, quamquam lente, extulit, primum in vico K, dein in vico M, dum interim et in aliis urbis partibus hîc illic, quidam ab eo corriperentur.

Die demum 16° duo laborantes in vico C aderant, altera foemina, alter vir, neque diu impetum sustinuerunt.

Ad diem usque 29um in hoc vico, novi non accesserunt

correpti, hoc autem die vir quidam afficiebatur, qui tamen non succubuit.

Attamen Cholera non nisi lente processit, summa enim eorum qui hoc mense correpti sunt, numerum *quadraginta trium* non excedit, quin praeterierunt quoque dies hujusce mensis, quibus nemo corripiebatur.

Mense Julio vero numerus aegrorum celeriter increvit. Inde a die 2_0 usque ad 7um corripiebantur 12 homines; inde a die 7° usque ad 12um, 33; inde a die 12° ad 17um, 85; inde a die 17° ad 22um, 182; inde a die 22° usque ad diem 27um, 228; inde a die 27° ad Kalendas Augusti, 232; uno autem eoque postremo hujus mensis die 63 homines morbo fuerunt correpti. Per totum mensem 775 homines indicabantur Cholera laborantes; horum 242 in vico C degebant, qui numerus parum abest, quin tertiam partem totius summae contineat, ac satis notabilis videbitur, ubi reputaveris, hunc vicum septimam circiter partem incolarum totius urbis continere.

Neque tamen morbus ad summum jam adscenderat fastigium; singulis diebus sequentibus 40 circiter aut 50 aut 60 correpti sunt, quin die 14° Augusti numerus 73 impletus est.

Inde	a	die	hujus	mensis	1°	Aug.	usque	ad	6um, 209;
»	»	»	»	»	6°	»	»	»	11um, 171;
»	»	»	»	»	11°	»	»	»	16um, 280;
»	»	»	»	»	16°	»	»	»	21um, 165;
»	»	»	»	»	21°	»	»	»	26um, 114;
»	»	»	»	»	26°	»	ad Kalendas usque Septembres, 119		

correpti numerantur.

Tabula, qua indicatur, quot homines Ultrajecti inde a die 28° m. Maji usque ad diem 12um m. Octobris anni 1849, singulis quinque dierum spatiis, cum in universa urbe, tum in vico ipsius litterâ C insignito, tum denique in ceteris vicis conjunctis Cholera correpti sint, quot sanitati restituti, quot mortui.

SPATIA QUINQUE DIERUM.	IN TOTA URBE.			IN TOTA URBE, EXCEPTO VICO C.			IN VICO C.		
	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Aegri.	Sanati.	Mortui.
Inde a die 28 Maji usque ad diem 2 Jun. 1849.	2	—	2	2	—	2	—	—	—
» » 2 » » » 7 » »	6	3	3	6	3	3	—	—	—
» » 7 » » » 12 » »	6	4	2	6	4	2	—	—	—
» » 12 » » » 17 » »	5	2	3	3	2	1	2	—	2
» » 17 » » » 22 » »	10	4	6	10	4	6	—	—	—
» » 22 » » » 27 » »	7	4	3	7	4	3	—	—	—
» » 27 » » » 2 Jul. »	12	8	4	11	8	3	1	—	1
» » 2 Jul. » » 7 » »	12	4	8	6	4	2	6	—	6
» » 7 » » » 12 » »	33	10	23	21	7	14	12	3	9
» » 12 » » » 17 » »	85	30	55	57	23	34	28	7	21
» » 17 » » » 22 » »	182	63	119	137	47	90	45	16	29
» » 22 » » » 27 » »	228	80	148	151	53	98	77	27	50
» » 27 » » » 1 Aug. »	232	86	146	158	65	93	74	21	53
» » 1 Aug. » » 6 » »	209	92	117	148	63	85	61	29	32
» » 6 » » » 11 » »	171	65	106	132	51	81	39	14	25
» » 11 » » » 16 » »	280	96	184	219	71	148	61	25	36
» » 16 » » » 21 » »	165	66	99	148	60	88	17	6	11
» » 21 » » » 26 » »	114	47	67	103	43	60	11	4	7
» » 26 » » » 31 » »	111	54	57	101	49	52	10	5	5
» » 31 » » » 5 Sept. »	77	18	59	69	17	52	8	1	7
» » 5 Sept. » » 10 » »	95	35	60	83	32	51	12	3	9
NB. Numeris incolarum in tabulis hisce notatis comprehensi sunt illi, qui singulis aetatibus Cholerae succubuerunt, quo factum est, ut summa numero 1663 superet numerum, quem populi census Kal. Januariis A°. 1850 exhibuit. Praeterea animadvertendum est, numeros illos veros esse ad annum usque 51um, supra vero illum forsitan minus accuratos. Nimi-

RATIO INCOLARUM TOTIUS URBIS IN EADEMQUE CHOLERA CORREPTORUM, EXCEPTIS IIS, QUI AD VICUM LITTERA C INSIGNITUM PERTINENT.

Numerus incolarum totius urbis, excepto vico C, die 1°. m. Jan. A°. 1850...... 41162
Cholera mortui A°. 1848 et 1849...... 1307
Summa......... 42469 Aegri 2193 = 5,16 pct.

Mares die 1°. m. Jan. A°. 1850........ 18749
Cholera mortui Ao. 1848 et 1849........ 609
Summa......... 19358 Aegri 1012 = 5,22 pct.

Feminae die 1°. m. Jan. A°. 1850...... 22413
Cholera mortuae A°. 1848 et 1849..... 698
Summa......... 23111 Aegrae 1181 = 5,11 pct.

DISPOSITIO SECUNDUM AETATES, NON HABITA RATIONE SEXUS.

Aetas.	Incolae.	Aegri.	Ratio aegr. ad 100 incol.
1— 6	4500	304	6,75
6—11	4307	315	7,31
11—21	8133	292	3,59
21—31	7636	247	3,23
31—41	5670	283	4,99
41—51	4896	232	4,73
51—61	3477	237	6,81
61—71	2317	156	6,73
71—etc.	1515	93	6,13
Incog.	18	34	
	42469	2193	

DISPOSITIO SECUNDUM AETATES.

SEXUS MASCULINI.				SEXUS FEMININI.			
Aetas.	Incolae.	Aegri.	Ratio aegr. ad 100 incol.	Aetas.	Incolae.	Aegrae.	Ratio aegr. ad 100 incol.
1— 6	2176	157	7,21	1— 6	2324	147	6,32
6—11	2233	152	6,80	6—11	2074	163	7,85
11—21	4093	153	3,73	11—21	4040	139	3,44
21—31	3344	110	3,28	21—31	4292	137	3,19
31—41	2476	131	5,29	31—41	3194	152	4,75
41—51	2160	111	5,13	41—51	2736	121	4,42
51—61	1464	93	6,35	51—61	2013	144	7,15
61—71	842	61	7,24	61—71	1475	95	6,44
71—etc.	563	32	5,68	71—etc.	952	61	6,40
incognita.	7	12		incognita.	11	22	
	19358	1012			23111	1181	

rum tabulas meas e catalogo Cholera correptorum ita confeceram, ut aegri conjuncti essent pro spatiis primum quinque aetatis annorum, quod bis factum est, dein vero decem. Id scilicet optimum esse putaveram. At cum deinceps tabulam conficere vellem numeri incolarum, animadverti, in tabulis publicis incolas esse conjunctos pro spatiis vel duorum vel

RATIO INCOLARUM VICI LITTERA C INSIGNITI IN EODEMQUE CHOLERA CORREPTORUM.

Numerus incolarum vici C die 1°.m.Jan.A°.1850.	6799		
Cholera ibidem mortui A°. 1848 et 1849.....	356	Aegri	
Summa.............	7155	169	= 7,95 pct.
Mares die 1°. m. Jan. A°. 1850.........	3167		
Cholera mortui A°. 1848 et 1849........	175	Aegri	
Summa...........	3342	295	= 8,82 pct.
Feminae die 1°. m. Jan. A°. 1850.......	3632		
Cholera mortuae A°. 1848 et 1849.......	181	Aegrae	
Summa...........	3813	274	= 7,18 pct.

DISPOSITIO SECUNDUM AETATES, NON HABITA RATIONE SEXUS.

Aetas.	Incolae.	Aegri.	Ratio aegr. ad 100 incol.
1— 6	792	83	10,47
6—11	829	103	12,42
11—21	1379	76	5,51
21—31	1199	59	4,92
31—41	876	63	7,19
41—51	815	70	8,58
51—61	562	62	11,03
61—71	393	35	8,90
71—etc.	310	18	5,80
	7155	569	

DISPOSITIO SECUNDUM AETATES.

SEXUS MASCULINI.				SEXUS FEMININI.			
Aetas.	Incolae.	Aegri.	Ratio aegr. ad 100 incol.	Aetas.	Incolae.	Aegrae.	Ratio aegr. ad 100 incol.
1— 6	398	42	10,55	1— 6	394	41	10,40
6—11	405	62	15,30	6—11	424	41	9,66
11—21	698	37	5,30	11—21	681	39	5,72
21—31	564	39	6,91	21—31	635	20	3,14
31—41	413	29	7,02	31—41	463	34	7,25
41—51	354	36	10,16	41—51	461	34	7,35
51—61	251	31	12,35	51—61	311	31	9,96
61—71	152	14	9,21	61—71	241	21	8,71
71—etc.	107	5	4,67	71—etc.	203	13	6,40
	3342	295			3813	274	

trium aetatis annorum. Quod quamvis ita sese haberet, ad 51um tamen aetatis annum, praedico fortunam meam, pro spatiis a me delectis exactos numeros aequirere potui, supra annum istum eos tantum, qui veritati proxime accedunt.

eum, qui corpore est adulto et viribus munito, cujus itaque vires, primum quidem morbi impetui resistentes, dein tamen saepe serius ocius ab eo superatum iri censeri possint. Cui tamen opinioni ea, quae mox de majoribus natu dicemus, repugnare videntur, quippe quorum vires, viriles aetatis viribus sine dubio universe sint minores).

Quidquid sit, ex iis qui annum agebant *undecimum* inter et *vicesimum primum*, praecipue vero *vicesimum primum* inter et *tricesimum primum* pauciores morbo aggressi sunt, quod de utroque genere valet.

Ac sane mirum est id, quod grandaeviores morbo minus apti esse videantur, uti e tabulis efficitur, ac in vico C inprimis clarius etiam conspicitur.

Universe utriusque generis summae parum a sese invicem recedunt; maxima autem discrepantia annum 41um inter et 51um observatur, qua aetate viri plures quam mulieres correpti sunt.

Ubi ad ceteram urbem praeter vicum C animadvertimus, eadem nobis apparent. Ibi quoque utrumque genus ad morbum propemodum aeque erat proclive; ibi quoque annum inter 21um et 31um pauciores correptos, ac quo quisque erat grandaevior, eo et morbo minus aptum videmus. Maximam hic observamus discrepantiam annum inter *sextum* et *undecimum*, qua aetate feminei generis plures correptae esse videntur.

At pro uno vico C, major, quod ad genera, intercedere videtur discrepantia. Etenim e nostro calculo patet genus masculinum magis Cholera captum fuisse quam genus femininum. Hic quoque puerilem aetatem prae caeteris fuisse vexatam, apparet. Qui autem ex utroque genere annum *septuagesimum primum* supera-

verant, universe maxime immunes fuisse videntur. Genus masculinum hîc annum inter *undecimum* ac *vicesimum primum* minus morbo erat aptum; genus femininum prorsus cum universi vici C ratione convenit. E calculis patet, hîc inter utrumque genus variis aetatibus, praecipue vero spatio, quod annum *sextum* et *undecimum* intercedit, atque annum inter *vicesimum primum* et *trigesimum primum* continetur, et eo quod ultra annum *septuagesimum primum* excedit, magnam adesse disparilitatem.

Ex universae urbis praeter vicum C convenientia, cum hocce vico solo patet, differentias inter genera et aetates, prouti eas in tabulis nostris indicavimus, minime fortuitas esse habendas, at huic illive caussae esse tribuendas, quae quidem hucusque nos latet, ac fortasse semper latebit, nisi ipsam morbi naturam aliquando interius cognoverimus.

Tabulae hîc appositae indicant exitum plus minusve infaustum etiam pro utroque genere in universum, et docet totius Cholerâ correptorum copiae partem circiter quintam triplicatam ($\frac{3}{5}$) obiisse. Pro genere masculino exitus paullulo fuit felicior, quoniam horum parte quintâ duplicatâ plures valetudinem recuperarunt, e femineo autem genere parte quinta duplicata paucioribus id contigit. Tam vero parva haec est differentia, ut vix citatione digna videatur, atque exitus pro utroque genere par dici possit. Quod vero ad diversas attinet aetates, major hîc adest discrepantia: felicissimus exitus obtinuit spatio annum inter *undecimum* et *vicesimum primum,* quod per totam hanc epidemiam observare licet, ut clarissime patet e calculis pro universa urbe praeter vicum

RATIO CHOLERA MORTUORUM EORUMQUE QUI SANITATI RESTITUTI SUNT IN TOTA URBE.

		Sanati.	Mortui.	Ratio sanatorum ad 100 affectos.	Ratio mortuorum ad 100 affectos.	DISPOSITIO SECUNDUM AETATES, NON HABITA RATIONE SEXUS. Aetas.	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Ratio sana-torum ad 100 affectos.	Ratio mor-tuorum ad 100 affectos.
Aegri in tota urbe annis 1848 et 1849..........	1762	1099	1663	39,79	60,21	1— 6	387	132	255	34,10	65,89
						6—11	418	198	220	47,36	52,63
						11—21	368	206	162	55,97	44,02
						21—31	306	157	149	51,30	48,69
Aegri sexus masculini annis 1848 et 1849......	1307	523	784	40,01	59,98	31—41	346	138	208	39,88	60,11
						41—51	302	110	192	36,42	63,57
						51—61	299	86	213	28,76	71,23
Aegrae sexus feminini annis 1848 et 1849......	1455	576	879	39,58	60,41	61—71	191	37	154	19,37	80,62
						71—etc.	111	19	92	17,11	82,88
						incogn.	34	16	18		
							2762	1099	1663		

DISPOSITIO SECUNDUM AETATES.

SEXUS MASCULINI.						SEXUS FEMININI.					
Aetas.	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Ratio sana-torum ad 100 affectos.	Ratio mor-tuorum ad 100 affectos.	Aetas.	Aegrae.	Sanatae.	Mortuae.	Ratio sana-tarum ad 100 affectas.	Ratio mor-tuarum ad 100 affectas.
1— 6	199	75	124	37,68	62,31	1— 6	188	57	131	30,31	69,68
6—11	214	105	109	49,06	50,93	6—11	204	93	111	45,58	54,41
11—21	190	105	85	55,26	44,73	11—21	178	101	77	56,74	43,5
21—31	149	70	79	46,98	53,02	21—31	157	87	70	55,41	44,58
31—41	160	60	100	37,50	62,50	31—41	186	78	108	40,86	59;13
41—51	147	50	97	34,01	65,98	41—51	155	60	95	38,70	61,29
51—61	124	31	93	25,00	75,00	51—61	175	55	120	31,42	68,57
61—71	75	15	60	20,00	80,00	61—71	116	22	94	18,96	81,03
71—etc.	37	7	30	18,91	81,08	71—etc.	74	12	62	16,21	83,78
incogn.	12	5	7			incogn.	22	11	11		
	1307	523	784				1455	576	879		

RATIO CHOLERA MORTUORUM EORUMQUE, QUI SANITATI RESTITUTI SUNT IN TOTA URBE, EXCEPTIS IIS, QUI AD VICUM LITTERA C INSIGNITUM PERTINENT.

	Sanati.	Mortui.	Ratio sanatorum ad 100 affectos.	Ratio mortuorum ad 100 affectos.	Dispositio secundum aetates, non habita ratione sexus.					
					Aetas.	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Ratio sanatorum ad 100 affectos.	Ratio mortuorum ad 100 affectos.
Aegri in tota urbe, excepto vico C, annis 1848 et 1849. 2193	886	1307	40,40	59,59	1— 6	304	100	204	32,89	67,10
					6—11	315	152	163	48,25	51,74
					11—21	292	167	125	57,22	42,77
					21—31	247	134	113	54,25	45,74
Aegri sexus masculini annis 1848 et 1849....... 1012	403	609	39,82	60,17	31—41	283	116	167	40,98	59,01
					41—51	232	87	145	37,50	62,50
					51—61	237	67	170	28,27	71,73
Aegrae sexus feminini annis 1848 et 1849...... 1181	483	698	40,89	59,10	61—71	156	32	124	20,51	79,48
					71—etc.	93	15	78	16,12	83,87
					incogn.	34	16	18		
						2193	886	1307		

DISPOSITIO SECUNDUM AETATES.

Sexus masculini.						Sexus feminini.					
Aetas.	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Ratio sanatorum ad 100 affectos.	Ratio mortuorum ad 100 affectos.	Aetas.	Aegrae.	Sanatae.	Mortuae.	Ratio sanatarum ad 100 affectas.	Ratio mortuarum ad 100 affectas.
1— 6	157	52	105	33,12	66,87	1— 6	147	48	99	32,65	67,34
6—11	152	76	76	50,00	50,00	6—11	163	76	87	46,62	53,37
11—21	153	83	70	54,24	45,75	11—21	139	84	55	60,43	39,56
21—31	110	55	55	50,00	50,00	21—31	137	79	58	57,66	42,33
31—41	131	51	80	38,93	61,06	31—41	152	65	87	42,76	57,23
41—51	111	38	73	34,23	65,76	41—51	121	49	72	40,49	59,50
51—61	93	23	70	24,73	75,26	51—61	144	44	100	30,55	69,44
61—71	61	14	47	22,95	77,04	61—71	95	18	77	18,94	81,05
71—etc.	32	6	26	18,75	81,25	71—etc.	61	9	52	14,75	85,24
incogn.	12	5	7			incogn.	22	11	11		
	1012	403	609				1181	483	698		

RATIO CHOLERA MORTUORUM EORUMQUE, QUI SANITATI RESTITUTI SUNT IN VICO LITTERA C INSIGNITO.

		Sanati.	Mortui.	Ratio sanatorum ad 100 affectos.	Ratio mortuorum ad 100 affectos.	DISPOSITIO SECUNDUM AETATES, NON HABITA RATIONE SEXUS. Aetas.	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Ratio sanatorum ad 100 affectos.	Ratio mortuorum ad 100 affectos.
Aegri in vico C annis 1848 et 1849.........	569	213	356	37,43	62,56	1— 6	83	32	51	38,55	61,44
						6—11	103	46	57	44,66	55,34
						11—21	76	39	37	51,31	48,68
						21—31	59	23	36	38,98	61,01
Aegri sexus masculini annis 1848 et 1849......	295	120	175	40,67	59,32	31—41	63	22	41	34,92	65,07
						41—51	70	23	47	32,85	67,14
						51—61	62	19	43	30,64	69,35
Aegrae sexus feminini annis 1848 et 1849.......	274	93	181	33,94	66,05	61—71	35	5	30	14,28	85,71
						71—etc.	18	4	14	22,22	77,77
							569	213	356		

DISPOSITIO SECUNDUM AETATES.

SEXUS MASCULINI.						SEXUS FEMININI.					
Aetas.	Aegri.	Sanati.	Mortui.	Ratio sanatorum ad 100 affectos.	Ratio mortuorum ad 100 affectos.	Aetas.	Aegrae.	Sanatae.	Mortuae.	Ratio sanatarum ad 100 affectas.	Ratio mortuarum ad 100 affectas.
1— 6	42	23	19	54,76	45,23	1— 6	41	9	32	21,95	78,04
6—11	62	29	33	46,77	53,22	6—11	41	17	24	41,46	58,53
11—21	37	22	15	59,73	40,27	11—21	39	17	22	43,55	56,41
21—31	39	15	24	38,46	61,53	21—31	20	8	12	40,00	60,00
31—41	29	9	20	31,03	68,96	31—41	34	13	21	38,23	61,76
41—51	36	12	24	33,33	66,66	41—51	34	11	23	32,35	67,64
51—61	31	8	23	25,80	74,19	51—61	31	11	20	35,48	64,51
61—71	14	1	13	7,14	92,85	61—71	21	4	17	19,04	80,95
71—etc.	5	1	4	20,00	80,00	71—etc.	13	3	10	23,07	76,92
	295	120	175				274	93	181		

C, pro vico C solo, et pro singulis generibus institutis. E computationibus pro tota urbe animadvertimus, universe et simul pro diverso genere, puerilem aetatem admodum fuisse infelicem; rationem per spatium, quod annum *sextum* inter et *undecimum* continetur, quodammodo fuisse feliciorem, et plerosque annum agentium, qui spatio annum *undecimum* inter et *vicesimum primum* incidat, vires recuperasse; dein numerum succumbentium denuo videmus increscentem, atque ad fastigium adscendentem ultra annum *septuagesimum primum*.

Id vero, quod numerus modo increscebat, modo decrescebat, in utroque sexu etiam observatur; maxima disparilitas adest annum inter *vicesimum primum* et *tricesimum primum*, quo spatio mulieres plures quam viri revaluerunt.

Pro universa urbe praeter vicum C, non multa habemus observanda. Hîc eadem valent, quae jam supra diximus, quamquam hîc illic parva admodum neque digna ut citetur, obtinuerit differentia. Antea generi masculo feliciorem fuisse exitum memoravimus, hîc vero contrarium obtinet; hîc quoque annum *undecimum* inter et *vicesimum primum* plerosque videmus sanitati restitutos, atque inde sive ad pueros descendamus, seu ad natu majores adscendamus, plerosque mortuos animadvertimus.

Pro singulo vico C major habetur disparilitas; itaque jam primo obtuitu exitum universe magis fuisse infaustum, et pauciores quam in cetera urbe restitutos fuisse videmus. Dum in cetera urbe exitus pro utroque genere propemodum par erat, hîc longe aliud quid obtinuit. Totius

enim morbo correptorum copiae ratione habitâ, e genere masculino *pars quinta duplicata*, vix major, e genere vero feminino *tertia* et quod excurrit, sanitatem recuperavit. Hic quoque annum agentes e spatio *undecimum* inter et *vicesimum primum*, plerosque restitui observavimus; quo vero natu minores pueri, quo annis graviores adulti essent, eo plures perierunt. Attamen annum ultra *septuagesimum primum* agentium, ratione habita numeri, plures revaluerunt; id vero fortasse fortuiti quid habendum est, quum numerus admodum sit exiguus, et computationis facies prorsus esset alia, modo unus accessisset ad eos, qui succubuerunt.

Genera autem plus disparilitatis exhibent. Dum ex maribus, annum *sexto* inferiorem agentibus, plerosque restitui videbamus, e femellis ejusdem aetatis, parte quintâ quadrupla haud multo plures mortuas esse vidimus. Eorum porro, quorum vitae annus incidebat spatio *undecimum* inter et *vicesimum primum*, plures e genere masculino quam feminino revaluerunt. Contrarium autem obtinuit apud eos, quorum vitae annus *sexagesimum primum* inter et *septuagesimum primum* versabatur. Quae jam observavimus de iis, qui annum ultra *septuagesimum primum* agebant, eadem illa hîc quoque valent.

---

c. *Comparantur cum epidemiis praecedentibus ejusdem morbi.*

Haec, prouti vidimus, epidemia initium cepit extra portam *Waard-barrière*. Ut vero docet Cholerae tabularium

a; 1832, 1) tunc temporis exstitit extra *Tolsteeg-barrière*, in vico K. Sicuti nec nunc, neque tunc apparuit, quemdam e familia, unde primum Cholera prodiit, cum hoc illove a Cholera correpto quidquam habuisse commune, quamquam pater pueri, anno 1832 primum adorti, durante Cholera *Hagae* versatus fuerat, ac morbus tribus ante diebus in pago *Vreeswijk* apud duos homines nautas, qui mane ejusdem diei ibi advenerant, prodierat. Tribus post diebus in ipso pago *Vreeswijk* morbus oriebatur; itaque ibi eodem tempore, quo Ultrajecti exstitisse videtur.

Tertio die post, 16 mensis Augusti primum observabatur in nosocomio militari, apud duos milites iter facientes, qui praegresso die hîc advenerant. Nocte dies 18um et 19um Augusti intercedente apparuit morbus in vico B, qui portae *Tolsteegpoort* adjacet. Ad diem usque 29um Augusti morbus commoratus est in duobus vicis K et B, qui sibi invicem adjacent, quo die primus correptus in vico C occurrit. Eodem hoc die foemina quaedam, quae in vico E ad locum *Mariaplaats* habitabat, corripiebatur. Ad diem 24um, quo morbus etiam in vico M extra portam *Waard-barrière* prodibat, atque ubi *vicesimus primus* eorum, qui hucusque correpti erant, a morbo capiebatur, inprimis in vicis K et B commoratus est; dum in vico A, qui et ipse portae *Tolsteeg-barrière* proxime adsitus est, rarissime quis corriperetur.

Post diem 24um mensis Augusti Cholera per totam ur-

---

1) Archief voor den Aziatischen braakloop en al wat daartoe betrekking heeft in de stad en provincie Utrecht, uitgegeven door P. J. I. de Fremerij, Med. Doct. en Hoogleeraar. Utrecht 1832.

bem et vicos, qui extra eam siti sunt, extendebatur; uni tantum vico parcebat, vico nempe F, quae urbis pars maxime est honesta, ac propemodum a solis nobilioribus civium classibus habitatur, cui praeterea paucissimi tantum sunt angiporti et viae angustiores, quae exiguum tantum familiarum pauperiorum numerum continent. Hic vicus fossas continet amplas, ubi ventus semper aërem purgat, et vias latiores majoresque.

Itaque primus, e vico F, die demum 5° Octobris, Cholera correptus est, ergo postquam per 7 jam hebdomades saevierat morbus. In primâ quoque epidemiae quam descripsimus parte, quae inde a die 24° Octobris 1848 ad 18um Maji 1849 extenditur, hunc vicum prae ceteris immunem animadvertimus. Etenim, modo excipias vicum G, qui item meliores urbis partes continet, omnium minime fuit vexatus. Anno 1848, morbus initio magis intra vicum M commoratus est, dum spatio inde a 24° Octobris ad 19um Novembris, pauci tantum e ceteris vicis corriperentur.

Anno 1832 Cholera uno propemodum loco permansit per *decem dies*, nunc autem per *quatuor* circiter *hebdomades.* Prouti nunc, ita tunc quoque morbus initio lente increscebat, singulis aut alternis diebus unus modo corripiebatur, postea demum plures simul corripi coeperunt.

Tabula hic sequitur, quâ indicatur, qua ratione singuli vici anno 1832 a Cholera fuerint capti.

VICI.	INCOLAE.	AEGRI.	RATIO AEGRORUM AD 100 INCOLAS.
A.	6360	99	1,56
B.	5484	74	1,35
C.	5844	219	3,75
D.	3147	50	1,59
E.	2881	37	1,28
F.	2533	4	0,16
G.	3240	12	0,37
H.	4106	11	0,27
I.	1826	16	0,88
K.	1901	41	2,16
L.	1412	12	0,85
M.	3601	92	2,55
	42335	667	1)

Itaque vici, prouti magis minusve fuerunt vexati, hoc ordine sunt disponendi:

C, M, K, D, A, B, E, I, L, G, H, F.

Etiam anno 1832 igitur, vici C, M et K gravissime afflicti fuerunt, dum et vico G et F magis parceretur. Vicus L, ubi tunc pro ratione pauciores erant aegri, anno 1848 primum obtinet locum, neque vicus D, quo tam paucos in priori epidemiae parte correptos fuisse pag. 37 commemoravimus, anno 1832 fuit immunis.

Maxima autem differentia in vico C habetur, ubi a°. 1832, numerus aegrotantium maximus fuit.

Quod ad numerum laborantium a° 1832 et prima

1) Hanc tabulam desumsi e celeberrima dissertatione viri Cl. A. C. G. Suerman, *de Cholerae Asiaticae itinere per Belgium Septentrionale*, edita Traj. ad Rhen. anno 1835. Notandum tamen, quae ibi pro millibus inveniuntur exposita, a me pro centenis esse commutata, quo facilior esset cum epidemia, a nobis descriptâ, comparatio.

periodo posterioris epidemiae, quae inde a 24° Octobris 1848 ad 18um Maji 1849 extenditur, fere aequat, quamquam anno 1832 plures, iique numero 54, corripiebantur.

Nunc eorum, qui sanitati restituti sunt, numerus, ut vidimus, pro centenis fuit 45,67, exstinctorum 54,32; anno autem 1832 exitus felicior fuit: plures scilicet quam 57,72 pct. revaluerunt.

Pro vico C hoc etiam clarius patet. Tunc enim pro centenis 63,47, nunc vero 46,06 tantum servabantur.

Num morbus anno 1832 minus saevus fuit, an vero cura laborantibus tunc adhibita nostrae tantopere praestitit? Suspicor, priori caussae omnino aliquid esse tribuendum, at, praecipuam caussam in eo esse positam crediderim, quod tunc et ea pro verâ habita sit Cholerâ, quam nunc *diarrhoeam cholericam* diximus, neque pro *vera Cholera* habuimus, quâ igitur correpti tunc verosimiliter in catalogo aegrotantium indicati fuerunt, nunc vero non fuerunt. In vico C saltem, non prius Cholera quem correptum esse annunciavimus, quam omnia morbi signa manifesta essent, nec dubito, quin saepius tanquam Choleram Europaeam sive diarrhoeam cholericam tractaverimus morbum, qui omnino vera Cholera fuerit, quamquam levior ipsius species.

Anno autem 1832 per *duodecim* hebdomades, nunc vero, si a primo computaveris ad postremum correptum, circiter per 7 menses perduravit Cholerae regnum.

In subjectâ tabulâ numerus eorum, qui a° 1833 in variis vicis Cholera laboraverunt, indicatur. Primus eo anno fuit correptus 8° mensis Julii.

VICI.	INCOLAE.	AEGRI.	RATIO AEGRORUM AD 100 INCOLAS.
A.	6432	47	0,73
B.	5546	25	0,45
C.	5910	61	1,03
D.	3183	40	1,26
E.	2914	23	0,79
F.	2561	8	0,31
G.	3277	21	0,64
H.	4153	27	0,65
I.	1846	7	0,38
K.	1923	9	0,47
L.	1428	13	0,91
M.	3642	56	1,54
	42815	337	1)

Anno igitur 1833 maxime vexatus fuit vicus M, quem ex ordine sequuntur vici:

D, C, L, E, A, H, G, K, B, I, F.

In altera ultimae, quam descripsimus, epidemiae parte, quae a die 28° Maji 1849 extenditur ad diem 12um Octobris ejusdem anni, morbus prae ceteris vicum C vexavit, quem excipiunt vici M, K, B, qui postremi duo, anno 1833 magis fuerunt immunes.

Comparatione institutâ reperies, anno 1849, 2149; anno vero 1833,337 tantum homines Cholera laborasse, ita ut haec, quae nuper regnavit epidemia, multo fuerit gravior. Anno quoque 1833, indoles morbi minus saeva fuisse videtur; pro centenis enim tunc 42,13, anno vero 1849 tantum 38,4 pct. restituti sunt.

In vico C tunc quoque plures revaluerunt, nempe 40,83 pct., nunc tantum 35,83. Attamen animadver-

1) Hanc etiam tabulam transcripsi e laudata dissertatione viri Cl. A. C. G. Suerman.

tendum est, tunc etiam in vico C plures morbo periisse, quam in cetera urbe.

Nunc praeterea diutius morbus duravit, quam anno 1833; mensis est differentia et ultra, neque igitur confirmari videtur, quod subinde contendere voluerunt, quo gravior epidemia sit, eo breviorem esse.

Utramque jam epidemiam, anni 1832 scilicet et 1833 conjunctam, proxima tabula in conspectu positam, cum epidemia anni 1848 et sequentis comparemus.

VICI.	INCOLAE.	AEGRI.	RATIO AEGRORUM AD 100 INCOLAS.
A.	6432	146	2,26
B.	5546	99	1,78
C.	5910	280	4,73
D.	3183	90	2,82
E.	2914	60	2,05
F.	2561	12	0,46
G.	3277	33	1,00
H.	4153	38	0,91
I.	1846	23	1,24
K.	1923	50	2,60
L.	1428	25	1,75
M.	3642	148	4,06
	42815	1004	

Inde liquet, annis 1832 et 1833 vicos C et M maxime fuisse vexatos, gravius autem vicum C. (In iisdem vicis et nunc maxime saeviit Cholera, inprimis autem in vico M). Sequitur vicus D, ubi annis 1848 et 1849, pro ratione pauciores fuerunt correpti; porro vici K, A, E, quorum medius nunc inter gravissime vexatos non potest referri, denique vici B, L, I, G, H, F.

Ex his apparet, Choleram non iis ipsis in locis tunc fuisse graviorem, ubi nunc maxime vires exercuit, id

est, pro numero correptorum vicos non eodem ordine in duabus illis epidemiis sese excipere. In universum tamen animadverti potest, vicos, qui annis 1832 et 1833 gravissime fuerunt vexati, nunc quoque maxime fuisse affectos, et, contra, eosdem, quos olim, nunc etiam immunes fuisse, in quibus nempe honestioris conditionis incolae habitarent.

Anno 1832 ad loca maxime correpta referebantur viae *Achterstraat*, *nieuwe Zandstraat* (C, N°. 310) 1), porro *het Zand* et *de Kruidmolen*. »Aliae contra plateae" (sunt verba Cl. A. C. G. Suerman) »ejusdem generis, *Zandstraat*, *Bergstraat*, *Koestraat*, aut angiporta *Mijlpoortje*, *Zuilensteegje* plures quidem aegros, vix autem funera viderunt." Quod nunc non ita obtinuit. Inprimis in plateâ *Bergstraat* multi correptorum succubuerunt. In universum exitus in plateis *het Zand*, *nieuwe Zandstraat* et *Achterstraat* aliquantum fuerit infelicior; certum est, in locis citatis permultos morte esse abreptos.

Anno 1832 ad summum 5 ex eadem familia correpti sunt, prouti nunc etiam in vico C, si excipias domum viae *nieuwe Zandstraat*, N°. 310 F insignitam, ubi postea sextus correptus est. In alio urbis loco domus exstat, in qua, nisi fallor, decem morbo fuerunt affecti, in ultima scilicet Cholerae epidemia.

Anno 1833 platea *het Zand* minus vexata fuisse videtur, quod idem valet de viis *nieuwe Zandstraat* et *Achterstraat*, dum inter maxime vexata loca annotata reperimus *Mijlpoortje* (*Meijpoort*) et *Pottestraat* 2).

---

1) Cl. A. C. G. Suerman, l. l. pag. 82, 83.

2) Idem, l. l. pag. 174.

Prioribus illis epidemiis multo pauciores homines morbo correpti sunt, quam nunc annis 1848 et 1849.

Vi et saevitia magnopere differunt epidemiae. Annis 1832 et 1833 sanitati restituti ea ratione ad mortuos habebantur, qua numerus 52,49 ad 47,51; nunc vero infelicior exitus fuit, etenim e centenis 39,79 tantum revaluerunt.

Anni 1832 hyeme accedente, Cholera cessit, et sequenti aestate denuo saevire incepit. Nunc hyeme quoque perduravit, ac mense Decembri satis erat gravis. Itaque nunc non idem quod tunc obtinuit, neque confirmatum est, quod tunc concludebatur, ea loca, ubi autumni tempore Cholera existeret, mox ab ea liberari, ac per hyemem propemodum prorsus a periculo esse tuta 1).

In prioribus epidemiis (1832, 1833) minus apti morbo videbantur annum agentes e spatio, quod annum 11um et 21um intercedit; nunc vero annum inter 21um et 31um agentes, excepto genere masculino, in vico C: quo ultra annum 71um nati, minus ad morbum proclives videbantur. Tunc quoque maximus affectorum numerus in plerisque locis erat e pueris anno aetatis 6° minoribus, dum in aliis locis ii potissimum capiebantur, qui annum inter 6um et 11um agebant 2); nunc vero hîc Ultrajecti posterius obtinuit. Etiam tunc, prouti nunc, majorum natu pro ratione pauciores capti fuisse videntur.

Nunc quoque confirmatum est experientia, virorum plures quam foeminarum, pro ratione summae incolarum utriusque sexus, morbo correptos esse, quod tam valet de universa urbe et de reliqua urbe praeter vicum C,

1) Cl. A. C. G. Suerman, l. l pag. 227.

2) Idem, l. l. pag. 231.

quam de hoc vico singulatim. Variis aetatibus tamen subinde aliquid discriminis observatur, ita ut nonnunquam pro ratione numeri correptorum ejusdem aetatis, faeminarum plures quam virorum morbo laborasse animadvertamus. Sic pro universa urbe annum 6um inter et 11um plures faeminas quam viros correptos vidimus, quamquam id discrimen vix memorabile censeri possit, quum numerus laborantium fere par sit. Attamen major adest disparilitas annos inter 51um et 61um, qua aetate 7,23 pct. virorum, e contra 7,96 pct. foeminarum morbo correptas reperimus.

Pro universa urbe praeter vicum C, jam statim annum inter 6um et 11um differentia observatur satis magna, sicuti liquet e tabula pag. 44, unde nobis apparet 7,85 pct. feminini generis morbo fuisse correptas, dum generis masculi 6,80 pct. corripiebantur. Porro videmus, aetate annum inter 51um et 61um intercedente, numerum correptorum ad numerum correptarum ea haberi inter se ratione, quâ 6,35 habetur ad 7,15, atque aetate quae annum 70um superat, eâ, quâ 5,68 habetur ad 6,40.

In vico C, uti ex tabula pag. 45 liquet, annum inter 11um et 21um, 5,30 pct. generis masculini, 5,72 pct. feminini generis morbo capiebantur. Porro exigua quaedam differentia obtinet annum inter 31um et 41um. Maximam vero omnium observamus ultra annum 71um, qua aetate tantum 4,67 pct. e genere masculo corripiebantur, dum econtra 6,40 pct. e genere feminino vexabantur.

Itaque si verum sit, universe virorum plures quam mulierum fuisse correptos, id tantummodo valet in universum, minime vero pro singulis aetatibus, quod annis 1832 et 1833 non observatum est.

»Morbi letalitas" (inquit saepius laudatus Cl. Suerman 1) »in viris longe major est quam in foeminis." Ex meis computationibus liquet, pro universâ urbe, numeros utriusque generis fere fuisse pares, attamen exitum paullo feliciorem generi masculino exstitisse. In cetera urbe praeter vicum C contrarium obtinuit. In vico C autem exitus generi masculino multo felicior erat.

Sicuti tunc, sic etiam nunc, ratio erat felicior annum inter 11um et 21um, et quo provectior aetas, eo in universum plures morbus abripiebat.

Annis 1832 et 1833 exitus, pro quavis aetate, generi feminino erat felicior, nunc vero prorsus aliud quid obtigit. Ex iis, qui correpti annum 6um nondum attigerant, plures e genere masculo, quam foeminino revaluerunt, quod in vico C inprimis observatum est, ubi e genere illo 54,76 pct. sanitati restituti sunt, dum e genere hocce 21,95 pct. tantum valetudinem recuperarunt. Idem quoque valet de iis, qui annum inter 11um et 21um agebant, et de quibusdam aliis aetatibus, ut e tabulis liquet.

---

1) Cl. A. C. G. Suerman, l. l. pag. 232.

Conspectus epidemiae Cholerae Asiaticae, annis 1848 et 1849 Ultrajecti observatae, in quo numerus eorum, qui singulis mensibus cum in universa urbe et suburbiis, tum in singulis vicis morbo isto et laboraverunt et mortui sunt, recensentur, distincto sexu distinctaque aetate, simulque refertur, num in nosocomio an domi suae curati fuerint.

Menses.	Numerus aegrorum.	Sexus masculini.		Sexus feminini.		Curati.		Sexus masculini. Ab anno aetatis 1–6.		6–11.		11–21.		21–31.		31–41.		41–51.		51–61.		61–71.		71–etc.		Aetatis incognitae.	
		Sanati.	Mortui.	Sanatae.	Mortuae.	Domi suae.	In nosocomio.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.
1848. Oct.	7	3	1	....	3	5	2	1	....	2	....	....	....	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Nov.	102	21	22	26	33	68	34	3	2	6	2	4	5	3	3	1	6	....	2	4	1	....	1	....	....	....	....
Dec.	270	53	85	68	64	190	80	14	19	10	13	13	8	4	5	6	8	3	8	1	15	1	7	....	1	1	1
1849. Jan.	96	22	23	27	24	50	46	2	3	5	5	8	2	2	5	3	1	1	4	....	2	....	....	1	1	....	....
Febr.	54	11	19	12	12	45	9	1	5	5	7	1	....	....	2	1	1	1	1	....	....	2	3	....	....	....	....
Mart.	59	18	20	7	14	46	13	2	4	6	4	4	2	....	....	....	6	3	1	2	....	....	2	....	1	1	....
April.	16	3	5	3	5	10	6	....	1	....	1	2	....	1	....	....	1	....	1	....	1	....	....	....	....	....	....
Maji.	11	3	2	3	3	10	1	....	1	....	....	....	1	....	....	1	....	1	....	....	....	....	....	1	....	....	....
Jun.	43	10	11	12	10	34	9	....	1	1	1	....	2	3	....	2	2	4	2	....	....	....	2	....	1	....	....
Jul.	775	133	240	143	259	576	199	15	34	31	35	21	20	20	31	12	32	19	33	9	29	6	16	....	8	....	2
Aug.	1058	201	274	219	364	836	222	32	47	33	35	45	36	25	27	27	34	13	28	12	31	6	20	5	12	3	4
Sept.	269	45	82	54	88	211	58	5	7	6	6	7	9	12	6	7	8	5	17	3	14	....	9	....	6	....	....
Oct.	2	....	....	2	....	2	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Summa.	2762	523	784	576	879	2083	679*	75	124	105	109	105	85	70	79	60	100	50	97	31	93	15	60	7	30	5	7
Sexus feminini								57	131	93	111	101	77	87	70	78	108	60	95	55	120	22	94	12	62	11	11
Summa								132	255	198	220	206	162	157	149	138	208	110	192	86	213	37	154	19	92	16	18

Menses.	Sexus feminini. Ab anno aetatis 1–6.		6–11.		11–21.		21–31.		31–41.		41–51.		51–61.		61–71.		71–etc.		Aetatis incognitae.		Vici. A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.
	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.												
1848. Oct.	....	1	....	....	....	1	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	...	...	...	...	...	...	...	...	...	...	...	7
Nov.	3	7	4	5	5	4	3	3	2	3	4	6	1	1	....	4	....	....	4	....	14	5	10	...	...	...	...	4	4	2	...	63
Dec.	6	11	14	9	12	5	4	5	16	10	7	7	5	6	2	7	....	3	2	1	39	26	53	3	8	4	2	2	3	31	29	70
1849. Jan.	3	5	9	3	5	1	5	3	3	2	1	3	1	3	....	1	....	3	....	....	29	22	13	...	6	...	...	4	...	15	4	3
Febr.	1	1	1	1	2	2	2	2	2	2	2	1	1	....	....	....	1	3	....	....	6	14	6	1	12	3	...	...	...	2	...	10
Mart.	1	2	....	5	....	1	2	1	1	2	1	....	1	1	....	1	1	1	....	....	8	3	5	4	7	...	2	2	...	11	10	7
April.	1	1	....	....	....	....	2	....	....	....	....	2	....	....	....	....	....	2	....	....	1	...	2	...	3	1	...	4	...	2	2	1
Maji.	....	1	....	....	....	....	....	....	....	1	1	....	2	....	....	1	....	....	....	....	...	2	...	1	...	...	...	...	1	2	...	5
Jun.	2	....	2	2	1	....	2	....	3	3	1	2	....	1	1	2	....	....	....	....	5	2	3	1	...	...	...	1	...	6	1	24
Jul.	10	36	32	36	26	25	20	20	18	32	16	28	13	34	4	25	2	19	2	4	49	56	242	71	58	11	32	69	19	29	36	103
Aug.	25	53	24	39	31	33	41	29	26	41	25	31	27	63	13	41	5	22	2	6	115	194	200	54	83	31	26	86	69	57	48	95
Sept.	5	13	6	11	19	5	6	7	7	11	2	12	4	11	2	9	2	9	1	....	11	52	34	11	30	10	10	23	20	36	5	27
Oct.	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	1	....	....	....	...	1	1	...	...	...	...	...	...	...	...	...
Summa.	57	131	93	111	101	77	87	70	78	108	60	95	55	120	22	94	12	62	11	11	277	377	569	146	207	60	72	195	116	193	135	415

Conspectus epidemiae Cholerae Asiaticae, annis 1848 et 1849 Ultrajecti observatae, in quo numerus eorum, qui singulis mensibus in universa urbe et suburbiis, excepto tantum vico litterâ C insignito, morbo isto et laboraverunt et mortui sunt, recensentur, distincto sexu distinctaque aetate, simulque refertur, num in nosocomio an domi suae curati fuerint.

Menses.	Numerus aegrorum.	Sexus masculini.		Sexus feminini.		Curati.		Sexus masculini. Ab anno aetatis 1–6.		6–11.		11–21.		21–31.		31–41.		41–51.		51–61.		61–71.		71–etc.		Aetatis incognitae.	
		Sanati.	Mortui.	Sanatae.	Mortuae.	Domi suae.	In nosocomio.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.
1848. Oct.	7	3	1	....	3	5	2	1	....	2	....	....	....	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Nov.	92	19	17	26	30	61	28	3	1	5	1	3	4	3	3	1	5	....	1	4	1	....	1	....	....	....	....
Dec.	217	40	71	55	51	155	62	11	17	8	10	10	6	3	5	2	6	3	6	1	13	1	6	....	1	1	1
1849. Jan.	83	16	20	26	21	43	40	....	2	3	5	6	2	2	5	3	....	1	3	....	2	....	....	1	1	....	....
Febr.	48	9	17	11	11	39	9	1	5	3	6	1	....	....	2	1	1	1	1	....	....	2	2	....	....	....	....
Mart.	51	17	18	6	13	41	13	2	3	6	4	4	2	....	....	....	6	3	1	1	....	....	1	....	1	1	....
April.	14	2	5	3	4	10	4	....	1	....	1	1	....	1	....	....	1	....	1	....	1	....	....	....	....	....	....
Maji.	11	3	2	3	3	10	1	....	1	....	....	....	1	....	....	1	....	1	....	....	....	....	....	1	....	....	....
Jun.	40	10	10	12	8	33	7	....	1	1	1	....	2	3	....	2	2	4	1	....	....	....	2	....	1	....	....
Jul.	533	88	152	111	179	400	133	9	26	19	14	16	11	15	15	8	21	11	27	4	19	6	11	....	6	....	2
Aug.	858	159	226	178	295	678	180	21	41	25	28	39	35	16	21	26	31	10	18	10	23	5	15	4	10	3	4
Sept.	235	37	70	48	80	188	47	4	7	4	6	3	7	12	4	7	6	4	14	3	11	....	9	....	6	....	....
Oct.	1	....	....	1	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Summa.	2193	403	609	483	698	1667	526*	52	105	76	76	83	70	55	55	51	80	38	73	23	70	14	47	6	26	5	7
Sexus feminini								48	99	76	87	84	55	79	58	65	87	49	72	44	100	18	77	9	52	11	11
Summa								100	204	152	163	167	125	134	113	116	167	87	145	67	170	32	124	15	78	16	18

Menses.	Sexus feminini. Ab anno aetatis 1–6.		6–11.		11–21.		21–31.		31–41.		41–51.		51–61.		61–71.		71–etc.		Aetatis incognitae.	
	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.
1848. Oct.	....	1	....	....	....	1	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Nov.	3	7	4	4	5	4	3	3	2	1	4	6	1	1	....	4	....	....	4	....
Dec.	4	9	12	6	11	2	4	5	9	9	6	5	5	6	2	5	....	3	2	1
1849. Jan.	3	4	9	3	5	1	5	3	3	1	1	3	....	3	....	1	....	2	....	....
Febr.	....	1	1	1	2	2	2	2	2	1	2	1	1	....	....	....	1	3	....	....
Mart.	1	2	....	4	....	1	2	1	1	2	1	....	1	1	....	1	....	1	....	....
April.	1	1	....	....	....	....	2	....	....	....	....	2	....	....	....	....	....	1	....	....
Maji.	....	1	....	....	....	....	....	....	....	1	1	....	2	....	....	1	....	....	....	....
Jun.	2	....	2	1	1	....	2	....	3	2	1	2	....	1	1	2	....	....	....	....
Jul.	10	20	23	26	21	14	18	11	14	24	9	20	11	28	4	15	2	17	2	4
Aug.	21	42	19	31	21	26	36	26	25	34	22	24	19	50	9	40	4	16	2	6
Sept.	3	11	6	11	18	4	5	7	6	11	2	9	4	10	2	8	1	9	1	....
Oct.	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	1	....	....	....
Summa.	48	99	76	87	84	55	79	58	65	87	49	72	44	100	18	77	9	52	11	11

Conspectus epidemiae Cholerae Asiaticae, annis 1848 et 1849 in vico Ultrajecti litterâ C insignito observatae, in quo numerus eorum, qui singulis mensibus morbo isto et laboraverunt et mortui sunt, recensentur, distincto sexu distinctaque aetate, simulque refertur, num in nosocomio an domi suae curati fuerint.

Menses.	Numerus aegrorum.	Sexus masculini.		Sexus feminini.		Curati.		Sexus masculini. Ab anno aetatis 1–6.		6–11.		11–21.		21–31.		31–41.		41–51.		51–61.		61–71.		71–etc.	
		Sanati.	Mortui.	Sanatae.	Mortuae.	Domi suae.	In nosocomio.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.	Sanati.	Mortui.
1848. Nov.	10	2	5	....	3	4	6	....	1	1	1	1	1	....	....	....	1	....	1	....	....	....	....	....	....
Dec.	53	13	14	13	13	35	18	3	2	2	3	3	2	1	....	4	2	....	2	....	2	....	1	....	....
1849. Jan.	13	6	3	1	3	7	6	2	1	2	....	2	....	....	....	....	1	....	1	....	....	....	....	....	....
Febr.	6	2	2	1	1	6	....	....	....	2	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	1	....	....
Mart.	5	1	2	1	1	5	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	1	....	....	1	....	....
April.	2	1	....	....	1	....	2	....	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Maji.	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Jun.	3	....	1	....	2	1	2	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....
Jul.	242	45	88	29	80	176	66	6	8	12	21	5	9	5	16	4	11	8	6	5	10	....	5	....	2
Aug.	200	42	48	41	69	158	42	11	6	8	7	6	1	9	6	1	3	3	10	2	8	1	5	1	2
Sept.	34	8	12	6	8	23	11	1	....	2	....	4	2	....	2	....	2	1	3	....	3	....	....	....	....
Oct.	1	....	....	1	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Summa.	569	120	175	93	181	416	153*	23	19	29	33	22	15	15	24	9	20	12	24	8	23	1	13	1	4
Sexus feminini								9	32	17	24	17	22	8	12	13	21	11	23	11	20	4	17	3	10
Summa								32	51	46	57	39	37	23	36	22	41	23	47	19	43	5	30	4	14

Menses.	Sexus feminini. Ab anno aetatis 1–6.		6–11.		11–21.		21–31.		31–41.		41–51.		51–61.		61–71.		71–etc.	
	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.	Sanatae.	Mortuae.
1848. Nov.	....	....	....	1	....	....	....	....	....	2	....	....	....	....	....	....	....	....
Dec.	2	2	2	3	1	3	....	....	7	1	1	2	....	....	....	2	....	....
1849. Jan.	....	1	....	....	....	....	....	....	....	1	....	....	1	....	....	....	....	1
Febr.	1	....	....	....	....	....	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....
Mart.	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	1	....
April.	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	1
Maji.	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Jun.	....	....	....	1	....	....	....	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....
Jul.	....	16	9	10	5	11	2	9	4	8	7	8	2	6	....	10	....	2
Aug.	4	11	5	8	10	7	5	3	1	7	3	10	8	13	4	4	1	6
Sept.	2	2	....	....	1	1	1	....	1	....	....	3	....	1	....	1	1	....
Oct.	....	....	1	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....
Summa.	9	32	17	24	17	22	8	12	13	21	11	23	11	20	4	17	3	10

* Notandum est, summae, quam exhibui, aegrotantium e vico C in nosocomio curatorum, unum deesse, eorum vero, qui ad ceteros urbis partes pertineant, octo. Causa in eo posita est, quod accidit subinde, ut aegri, postquam aliquot dies domi suae curati essent, in nosocomium demum delati fuerint, quod in catalogo cholera correptorum publica auctoritate facto, quo uti mihi licuit, non semper adnotatum fuisse videtur.

CAPUT QUARTUM.

AETIOLOGIA.

De causis Cholerae Asiaticae, quis est qui nesciat, multum dissentiunt medici. Nec vulgares aëris injurias, nec gelidae haustum, neque acidum potum quemcunque, nec cibos vel copia gravantes vel indole noxios, nullas adeo potentias, quibus omni fere tempore homines aegrotare possunt, sufficere ad dirissimum istum morbum producendum, hac quidem de re, credo, convenit inter omnes. Propria admittitur ac peculiaris sive causa sive causarum copula, qua sola ita afficitur corpus humanum, ut symptomata prae se ferat, quorum syndrome Cholerae Asiaticae speciem sive formam constituat. Num vero contagio semper inferatur, id est, materia veluti venenata, ipso morbo producta, an proprio miasmate, quo nomine malignum itidem principium intelligimus, sive telluris sive telluri impositorum, haud vero hominum, effluvium, an denique in aliis hac, in aliis illa causa vel etiam utriusque conspiratione, dubi-

tant et disputant perpetuo. Meum non est in hacce dissertatione gravissimam illam quaestionem tractare. Id tantum instituti ratio postulat, ut referam, quid tandem ex iis, quae in vico littera C insignito observata fuerint, circa causam Cholerae Asiaticae concludi vel possit vel non possit.

Situs est ille vicus, ut vidimus, prope suburbium, quod primum Cholera afflictum fuit. Qua tandem ratione in suburbium illud venerit morbus, nequaquam constat. Certum est, secundum affirmationem doct. Koning, in suburbio isto artem factitantis, puellam, quae omnium prima ibidem Cholera obiit, nullum habuisse cum Cholera aegrotantibus commercium. Narratum est, parentes hujus puellae Amstelodamo veniisse, ubi Cholera regnaret. At vero res non ita sese habuit. Redierant scilicet ex illa urbe ante tres menses, quo tempore morbus ibi nondum inceperat. — Duobus diebus postquam puella ista Cholerâ correpta fuerat, in tribus aliis iisque diversis et satis remotis ejusdem suburbii locis morbus apparuit, licet, quantum indagationibus effici potuit, nullus fuerat cum primâ aegrâ hujusve cognatis contactus. Deinde sensim auctus est ibidem Cholera laborantium numerus.

Petrus de Marie, qui paulo post omnium primus in vico littera C insignito, scilicet in platea *Achterstraat* N°. 524 F, Cholera correptus est, nullum habuerat cum aegris, in suburbio Cholerâ vel etiamnum decumbentibus vel mortuis, commercium. Indicari certe non potuit. — Quemadmodum igitur prima Cholerae Asiaticae in suburbio vico nostro proximo, sic etiam in vico ipso apparitio clare demonstrat, id quod reliqua quoque epi-

demiae historia confirmatur, non opus esse aegrorum contactu, ut morbus oriatur. An itaque probat, morbum non esse contagiosum? Vel si probaret, miasmati, id est telluris aut telluri impositorum, haud vero hominum Cholera decumbentium, effluvio morbi originem tribuendam esse, inde nondum effici posset, Choleram naturae esse non contagiosae. Nihil obstat, quominus admittamus, eandem conditionem morbosam, quae proprio miasmate saepissime excitatur, excitari quoque posse materia, simili conditione morbosa in alio aegro producta. Morbi miasmatici notio notionem morbi contagiosi nequaquam excludit. At vero miasmatica Cholerae origo, quamquam nobis etiam verisimilis videtur, supra narratis nullo modo probatur. Fieri potest, ut causa morbifica revera fuerit Cholerâ in longinquo decumbentium effluvium, per atmosphaeram late dispersum atque venti ope huc delatum. Erunt profecto, qui dubitent, plures forsitan, qui negent, tam volatile dari contagium. De mea quidem sententia jus est dubitandi, dubito ipse; non est negandi, quandoquidem probari nequit, contagium tam volatile esse non posse.

»Ce n'est pas dans les grandes villes," inquit Chomel 1), que les questions de contagion peuvent être »avantageusement étudiées et approfondies. Là.... il est »impossible de suivre dans sa transmission la maladie »la plus manifestement contagieuse." Hoc etiam in vico nostro experti sumus. Brevi scilicet, postquam Cholera vicum illum ingressa erat, quemadmodum indice

1) Chomel, Elémens de pathologie générale, 3me éd., Paris 1841, p. 103 seq.

nostro chronologico clare demonstratur, in diversis apparuit, iisque a se invicem satis remotis vici locis, at, num commercium obtinuerit horum in initio epidemiae afflictorum cum aegris Cholerâ laborantibus, quod eo tempore annotatum non fuit, nunc non amplius indagari potest. In ulteriori epidemiae decursu, praesertim in altera ipsius parte, quum morbus longe lateque dispersus esset et in omnibus fere vici plateis et angiportis apparuisset et vero saeviret, permulti Cholera corripiebantur, qui cum aegris eodem morbo decumbentibus in contactu fuerant. Mutuum enim, non tantum ejusdem familiae membra, sed vicini quoque, imo vero plerique hujus vici incolae sibi afferebant auxilium, neque unquam fere, quod saepe miratus sum, metu morbi ab humanitatis officiis abducebantur. Patet insuper e conspectu, quem dedimus, Cholerae topographico, inprimis in alterâ epidemiae parte, multas fuisse domos, in quibus plures homines morbo isto deinceps correpti sint, sive ejusdem essent, sive non ejusdem familiae. In domo plateae *nieuwe Zandstraat*, ut exemplum afferam, N°. 310 F insignita, ubi d. 26° Nov. 1848 Cholera prima vice apparuit, ad d. 2 Dec. quinque deinceps aegri ex hoc morbo laborantes observati sunt. Ejusmodi quid in duabus etiam aliis obtinuit domis. Sic duodecim domi sunt, in quibus singulis quatuor homines Cholera laboraverunt; undetriginta, in quibus tres; quinquaginta tres denique, in quibus duo. In ducentis et undeviginti domis unus tantum Cholera aegrotavit, unus porro in taberna mobili, unus item in navi, dum trium aegrorum domicilium non commemoratum fuit. Itaque 221 domis, navi et taberna mobili computatis, in quibus singulis unum modo ex

habitantibus Cholera corripuit, opponuntur 97 domi, in quibus singulis plures homines eodem morbo afflicti fuerunt. Hi itaque et complures etiam e ceteris, quod jam animadvertimus, morbo correpti sunt post manifestum cum Cholera aegrotantibus contactum. Num propter? Negari nequit, nec tamen etiam affirmari. Si miasma datur, e quibuscunque rebus, haud vero ex hominibus Cholera laborantibus evolutum, ex hoc solo morbi ortus in omnibus, quos modo commemoravimus, aegris explicari potest. Nullus est, hac de re, credo, inter omnes pathologos constat, neque miasmatis cujuscunque neque contagii effectus, nisi homines, in quos agit, in ea versentur conditione, ut vim potentiae istius nocentis percipere possint. Proclivitas vulgo dicitur sive dispositio, hominibus vel naturâ propria, qualis ea est, quam sanguinis affert affinitas, quam sexus atque aetatis, nec non temperamenti diversitas, vel rebus externis, alimentis, aëre, ceteris producta. Quod si teneamus, sufficit omnino ad similitudinem provocare dispositionis sive naturalis illius sive rebus externis productae, ut omnes, quos spectavimus, miasmatis effectus, qui contagiosam morbi naturam verisimilem reddere videntur, rite explicemus.

Die 22 m. Julii anni superioris nobilis quaedam matrona sub finem graviditatis Cholera Asiatica corripiebatur. Partu arte provocato, infans duobus diebus post eodem morbo obiit. Mater puerperae, quae semper illi adsteterat, una elapsa hebdomade, in eadem domo Cholera exstincta est. Femina, quae puerperae pariter ac infantis curam habuerat, (*de baker*) minus bene sese habens, abiit et domi suae continuo Cholera correpta,

brevi quoque mortua est. Obstetrix, quae curam puerperae haberet, dein arcessita, diarrhoea cholerica, ut dicebatur, vehementiori affecta, ipsa quoque abire debuit. Denique filiola puerperae natu major, quae exorto matris morbo, domum reliquerat, in alia domo, ubi nec fuerat Cholera, nec deinceps obtinuit, eodem morbo correpta est, at valetudinem recuperavit.

An morbi propagatio etiam in hoc casu ex miasmate explicari potest? Potest sine dubio; num vero debeat, utique dubitandum. Magna cum probabilitate potest contagio adscribi.

Notatu dignum quoque videtur exemplum feminae, quae per totam epidemiam intimum, ut ita dicam, eumque quotidianum fere habuit cum Cholera laborantibus contactum sine ulla valetudinis noxa. Exsugebat nimirum mammas lactantium feminarum, quae Cholera decumbebant; os igitur diu habebat nudo aegrotantium corpori veluti agglutinatum, liquorem mammis secretum aliquamdiu in ore tenebat, nec tamen ipsa morbo correpta est. Si Cholera contagiosa est, hoc exemplum affirmat, quod ceterum affirmatione non indiget, nisi corpus ad Choleram proclive sit, contagio non affici.

Multos dari homines, quorum corpora tali proclivitate careant, tum eo probatur, quod in 219 domis unus modo ex habitantibus Cholera correptus est, tum constanti sanitate medicorum, qui aegrotantium curam habuerunt, et eorum etiam, qui aegros ad nosocomium transportare solebant.

E tabula tertio hujus dissertationis capiti inserta, pag. 45, apparet, plures in vico littera C insignito mares, quam feminas Cholera fuisse correptos, ut igitur genus

masculinum majorem ad morbum proclivitatem habuerit. Quod ad aetates attinet, eadem tabula docet, eam, quae sextum inter et undecimum annum contineatur, maxime in Choleram inclinasse. Notandum tamen, me, quandoquidem pro singulis vicis hoc fieri non posset, numerum infantum, qui inde ab initio epidemiae nati fuerint, de summa incolarum non detraxisse, neque addidisse numerum eorum, qui aliis morbis obierint. Quod si factum fuisset, pro junioribus fortasse maximum acquisivissemus correptorum numerum.

Qui vicesimum et sequentes, necdum tamen tricesimum compleverant aetatis annum, omnium maxime a morbo fuerunt immunes. Inde augebatur iterum proclivitas, provectiore vero aetate diminuebatur, ita quidem, ut, quamvis pristinae experientiae memores contrarium exspectavissemus, pauci modo ex iis, qui septuaginta et plures annos agerent, Cholera correpti fuerint. Patet ceterum e computationibus, rectius forsitan dixerim, patere videtur, magnam fuisse vim sexus diversitatis, praesertim apud pueros, qui sextum inter et undecimum aetatis annum versarentur, apud adultos, qui viginti annis majores triginta nondum complevissent, nec non apud senes natu maximos. E senectute scilicet plures feminas quam mares, e ceteris, quas modo commemoravimus aetatibus, plures mares quam feminas morbus affecit.

De temperamento Cholera correptorum nihil communicabimus, quandoquidem e paucis, quas hac de re habemus, annotationibus nihil concludi potest. Temperamentum phlegmaticum, ut supra retulimus, in vico littera C insignito ceteris frequentius nobis visum est.

At, si vel constaret, plerosque ex iis, qui Cholera correpti sint, phlegmatici fuisse temperamenti, nondum efficere possemus, quatenus in singulis hominibus illud temperamentum congenita corporis natura contineretur, quatenus vero ex alio temperamento millenis paupertatis miseriis exortum fuerit.

Quaesitum est, num gravidarum major sit an minor ad Choleram proclivitas. Operae pretium videtur notare, quid hac de re in vico littera C insignito experti simus.

Per totam epidemiam, inde a die 9 Nov. a. 1848 usque ad diem 12 Oct. a. 1849, in vico hocce, ut vidimus, 569 homines Cholera correpti sunt. Numerus incolarum Kal. Januar. ai. 1850 adscenderat ad 6799, quibus si addantur 356 Cholera mortui, acquirimus pro summa 7155. Itaque 7,95 pct. morbo atroci afflicti sunt.

Quot feminae gravidae in vico isto adfuerint, accurate indicare non possumus. Numerus earum in universa urbe a Cl. van Goudoever aestimatus est 2500. Pro rata parte igitur in vico C fuerint 360 et quod excurrit. Ex his *duodecim* Cholera laborarunt, id est, 3,33 pct.

Fieri potest quidem, ut plures insuper gravidae in vico isto Cholera correptae fuerint, quod tamen dubitaverim, quandoquidem sedulo illud annotare solebamus. In omni casu paucae modo omissae esse possunt, de quarum graviditate constabat; plures profecto, de quarum graviditate non constabat. Reputantibus autem, e 688 aegris, in nosocomium Cholera laborantibus destinatum receptis, de *tribus* tantum feminis, cadaverum sectione patuisse, quod infra tertium graviditatis mensem versarentur, vel concedentibus nobis, ex iis quoque, quae sanitatem re-

cuperaverint, nonnullas gravidas esse potuisse, verisimile tamen videtur, etiam in vico C numerum talium exiguum fuisse. Verum est, conclusionem circa proclivitatem gravidarum e numeris istis ductam non omni dubio majorem esse, quandoquidem, ut ceterae feminae per totum epidemiae spatium, ita gravidae per menses tantum aliquot causae Cholerae primariae expositae fuerunt. At hoc certe constare nobis videtur, gravidas, si cum non gravidis comparentur, minus potius quam magis in Choleram inclinare.

Quemadmodum in indicibus secundo hujus dissertationis capite contentis videri potest, pauci tantum homines ex iis, qui ad Canalem Veterem habitabant Cholera correpti sunt, nemo vero in foro maximo, quod *Vreeburg* appellatur. Vehementer contra morbus saeviit in plateis *het Zand, de Achterstraat, de nieuwe Zandstraat* earumque diverticulis et angiportis. Haec autem, quae ultimo commemoravimus, loca ab iis habitantur, quibus res angusta domi est et curta supellex; illa vero a melioris conditionis, a fortunatis adeo hominibus. Liquet igitur, non excludi quidem ceteros, at prae aliis tamen Cholera corripi homines paupertatis miseriis veluti immersos. Quas quidem miserias si cunctas et singulas perpendis, mirum videri nequit, eos, qui in iisdem degere cogantur, causa Cholerae occasionali primaria, sive miasma sit, sive contagium, facilius affici quam alios, qui meliori vitae sorte gaudeant. Nimirum sive domunculas spectes humiles et angustas, aëris perflatum vix admittentes, in quibus numerosae saepe familiae respirare et cetera vitae munia obire debent; sive parcos eosdemque fatuos et inertes parumque nutrimenti continentes,

quos haud sine difficultate sibi comparare possunt, cibos; sive immunditiem, constantem fere paupertatis pedissequam, concedes, credo, pauperes in genere habere corpora, gravioribus potentiis nocentibus multo minus resistere valentia, quam ea, quae ciborum et aëris praestantia aliisque faustis conditionibus bene nutrita sunt. In mala scilicet hac corporis nutritione, quam ulterius etiam pervertunt saepe vel impediunt mores dissoluti, spirituosorum abusus, veneris intemperantia, cetera, proclivitas ad Choleram Asiaticam in permultis hominibus posita esse videtur. Quid autem sit, quod faciat, ut e copia hominum in eadem tristi rerum conditione versantium alii morbo corripiantur, alii immunes maneant, prorsus nescimus. Constat adeo, propriam dari ac peculiarem organismi dispositionem, quae morbo faveat, quam vero indicare, nedum definire nequaquam possumus.

Num dispositio illa ab una parte vel inferatur vel, ubi jam adsit, augeatur, ab alterâ vero sive deleatur ipsa sive innocua reddatur diminuta vel sublata causa morbi occasionali per definitas aëris conditiones, calorem scilicet, vel frigus, siccitatem vel humiditatem, gravitatem vel levitatem, motum vel quietem, tempestates, alias, ut olim, ita nunc quoque rogatum est. Videamus, quid respondeat experientia.

Diversis atmosphaerae mutationibus, quas, etiam durante Cholerae epidemia, in observatorio suo meteorologico accurate notavit doctissimus Krecke 1), cum variis

---

1) Cf. Tijdschrift voor oudheden, statistiek, zeden en gewoonten, regt, genealogie en andere deelen der geschiedenis van het bis-

hujus epidemiae stadiis et vero cum numeris Cholera correptorum, qui pro singulis diebus tabulis publicis inscripti sunt, collatis sequitur, de necessitudine mutationum istarum et Cholerae regni nihil prorsus constare. In pulcherrima tabula hoc unice consilio a doct. Krecke delineata, quam dolemus nondum editam esse, vidimus, quod ipsi ceterum in vico C experti sumus, Choleram nunc auctam fuisse, ubi thermometrum majorem atmosphaerae calorem indicaret, nunc vero diminutam; pro una eademque barometri altitudine jam majorem fuisse, jam minorem morbo correptorum numerum. Quod annis 1832 et 1833 observatum est, Choleram autumnali tempore valde decrevisse, imo vero abiisse, nunc non obtinuit. Mense Decembri scilicet anni 1848 in universa urbe 270 homines Cholera correpti sunt, in vico C 53. Nec tamen coïncidit frigoris ἀκμή cum summo morbi fastigio. Mense Januario quippe, quum thermometrum in scala Celsiana 11um indicaret gradum infra punctum congelationis, admodum decrevit numerus aegrorum. Notandum tamen, etiam in multo calidioribus diebus numerum illum saepe fuisse exiguum. Die 8° mensis Julii 1849, quo thermometrum hora II pomeridiana 29′ indicabat, *duo* tantum homines correpti sunt, *duo* itidem quinque diebus ante, 3° scilicet ejusdem mensis, calore ceteris omnibus inferiore; die 26°, quo thermometrum 17′ indicabat, *sexaginta septem*. Mense Decembri modo commemorato, dum minor erat aëris pressio, Cholera incresce-

---

dom, de Provincie en de stad Utrecht, uitgegeven door Dr. P. J. Vermeulen, Archivarius der Provincie Utrecht.

bat. Increscere autem perrexit, etiam quum pressio aëris augeretur.

Eadem autem, quae de temperatura valent et pressione aëris, valent etiam de humiditate ac siccitate, de ventis ac quiete atmosphaerae, de tempestatibus, ceteris. Sub iisdem atmosphaerae conditionibus morbus jam auctus est, jam diminutus.

Errores diaetae, corporis refrigerium, animi pathemata graviora, similia Cholerae accessionem proxime praecessisse, saepius observavimus. Num ultimae in casibus istis causae fuerint morbi occasionales, an vero proclivitatem attulerint, quâ datâ miasma vel contagium Choleram producere posset, difficile dictu est. Postrema autem sententia probabilior videtur.

Atque haec quidem sunt, quae de causis Cholerae habui animadvertenda.

CAPUT QUINTUM.

NOSOGRAPHIA.

In capitis hujus quinti tractatione, primo loco varias morbi formas sive species, quae in vico litterâ C insignito observatae fuerunt, secundum symptomata singulis propria, describere animus est; deinde de notabilioribus quibusdam symptomatibus, quae sese vel durante morbo, vel post eum ostenderunt, nonnulla referam.

a. *Descriptio morbi generalis.*

Quemadmodum in prioribus ejusdem morbi epidemiis, ita nunc etiam variae Cholerae Asiaticae species occurrerunt, quarum praecipuas, eas scilicet, quae plurimum obvenerunt, in vico litterâ C insignito magno numero observare mihi contigit.

Mos est varias istas species variis nominibus significare. Quae siquidem a characteribus definitis, id est, a qualitatibus, solis, quas significare debent, speciebus propriis, desumta sint, adeoque brevem tanquam de-

scriptionem ipsarum specierum contineant, ad faciliorem distinctionem utique commendari mereatur, certe non rejicienda sunt.

Nomen Cholerae siccae, ut exemplo utar, quamquam scholasticae Cholerae definitioni repugnat, ad significandam eam morbi speciem, in qua omnia Cholerae Asiaticae symptomata, exceptis vomitu et diarrhoea, adsunt, aptum nobis videtur. Nomen est jamdudum in Nosologiam receptum, quo quisque idem intelligit. Sic etiam appellatio Cholerae cyanoticae, qua quidem ea morbi species denotatur, ubi color cutis coeruleus, in facie praesertim et extremis insignis, externam facit cum cyanosi similitudinem, nequaquam reprobanda est. Omnes enim norunt, quid ea significetur. Usus contra nominum, non a stabilibus ejusmodi characteribus petitorum, quae sine causa sufficiente, ad diversos morbi gradus, vel, si mavelis, ad varia ipsius stadia indicanda, data fuerunt, propter errores, quibus ansam praebere possunt, rejiciendus videtur. Plurimi, ut hocce etiam exemplo illustremus, tres admittunt, singulas saepe seorsim occurrentes, praecipuas adeo Cholerae Asiaticae species, diarrhoeam nempe cholericam, Choleram erethicam et Choleram paralyticam. Diarrhoeam cholericam levissimum morbi gradum dicunt, in quo, licet vel nullus vel vix ullus vomitus obtineat, et urinae secretio nondum prorsus impedita sit, diarrhoea tamen observatur, Cholera laborantibus propria, cum caeteris morbi signis pathognomonicis, non naturâ, sed gradu tantummodo, ab illis Cholerae erethicae et paralyticae diversis. Quodsi eadem esset ubique omnibusque medicis accepta, veluti conventionalis adeo, hujus nominis significa-

tio, vereor, ne temeraria dici posset ejusdem improbatio. At vero nequaquam res ita sese habet. Non pauci enim hocce nomine vehementem tantummodo intelligunt diarrhoeam serosam, eodem, quo Cholera Asiatica saevit, tempore locum habentem, eâdem forsitan sive causa sive causarum complexione, quae Choleram efficiunt, ortam, cui vero, secundum illorum sententiam, alia subest conditio morbosa, quam diarrhoeae caeterisque germanae Cholerae symptomatibus. Ex illorum igitur opinione Cholera spuria est, vel quod eodem redit, non est Cholera. Judicium de natura conditionis morbosae, diarrhoeae istius causam praebentis, pertenui saepe argumento niti, in eoque igitur facile quem falli posse, de nostra quidem sententia, inficias iri nequit. Sed apud illos quoque, qui talem diarrhoeam tanquam Choleram veram considerant, sine dubio pluries error existit; certos enim fines terminosque constituere symptomatum complexui, qui leviorem morbi speciem denotat, eique, qui ad Choleram spuriam pertinet, dum Cholera epidemice regnat, impossibile nobis videtur. Quandoquidem igitur nomen diarrhoeae Cholericae duplici sensu adhibetur, adeoque ad noxiam ambiguitatem ducit, prorsus rejiciendus est. Cholera paralytica, species ipsius vehementissima, sive gradus supremus, culmen, ἀκμὴ morbi dicitur. Sique ad statum paralyticum attendamus, in quo plurimae partes ad vitam organicam pertinentes, in hacce morbi specie versantur, haecce denominatio aliena dici non potest. Quo vero jure diversa quadantenus, si cum vehementiore paralytica comparetur, at in se tamen spectata vehemens etiam species, quasi natura paralyticae opposita esset, Cholera erethica dicatur, ne-

quaquam intelligo. Equidem hujus nominis usum ad medium morbi gradum sive speciem secundam significandam, defendere non possem, eoque igitur abstinere debeo; et, quia nomen ab omni parte bonum ei supponere nequeo, satius esse duxi, nullis nominibus uti, verum symptomata, quorum conjunctio varias Cholerae species a me observatas efficit, pro viribus ad naturae veritatem deinceps describere.

Priusquam autem ad descriptionem illam transeamus, Choleraphobiae, quae dicitur, id est, sensationis cujusdam ingratae, etiam a me, Cholera epidemice regnante, saepe observatae, mentionem facere debeo; quandoquidem enim pluries morbi veluti praecursor erat, ad illum pertinere fere dici potest.

Erat autem Choleraphobia ista propria quaedam ac peculiaris anxietas, eatenus certe, quatenus cogitationes cum illa conjunctae, turbas corporis plane peculiares afferrent. Praecipue quidem in hystericis atque hypochondriacis observabatur, in genere in hominibus, quorum systema nervosum valde irritabile erat, et igitur facilius aegrotabat. In his autem colloquium de Cholera vel vivida noctis imago, ut generalem nervorum sensilium intemperiem, ita vel nauseam et vomituritionem, aut verum etiam vomitum, vel plures alvi excretiones, vel vomitum cum diarrhoea et gravantem insuper dolorem in regione epigastrica, pectus saepe vel collum tanquam adscendentem, provocabat. Quae quidem turbationes corporeae, quamvis sine dubio multis in casibus soli animi vi adscribendae essent, aliquando tamen, credo, eâdem causâ, quae veram Choleram inducit, allatae fuerunt; quod si obtineret, anxietas earum productum

erat. Observationem quippe aliorum, Choleraphobiam etiam obvenisse apud homines, qui nequaquam timidae naturae erant, et Choleram nullo modo metuebant, nos quoque confirmatam vidimus. Symptomata hancce Choleraphobiam concomitantia facile plerumque, praecipue allocutione placante et aqua laurocerasi, vel alio remedio sedante, pro forma administrato praesertim, auferebantur. Pertinacior interea spasmus erat vel sensatio ingrata in regione epigastrica, utpote quae facile, vel leviori animi commotione rediret.

Non semper vero turbationes memoratas tollere licuit. Pluries etiam ad symptomata prodroma, vel, si mavelis, ad initium verae Cholerae accessionis, quam jam continuo describam, pertinebant.

Species prima. Saepius igitur, quando haecce Choleraphobia praecesserat, haud raro etiam sine illa, ut plurimum vero postquam aegrotans, durante breviori vel longiori temporis spatio, praeter consuetudinem segnis fuerat, atque cum alias habuerat sensationes ingratas, tum vero pressionem et pulsationem in regione epigastrica perceperat, non raro cum aurium susurru et vertigine, quae quidem inter prodroma symptomata satis certo Choleram secuturam esse indicabant, multiplices fiebant alvi dejectiones, borborygmis vulgo praenunciatae, quae interdum adhuc faeculentae, in aliis vero casibus jam ab initio inde liquidae et floccosae erant, ventre magis minusve tenso. Hisce interdum vomitus conjunctus erat, urinae secretione nondum impedita. Pulsus parvus et frequens erat, atque saepe jam de spasmis in suris querebatur aeger. Cutis calor in genere diminutus, praecipue quidem artuum extremorum, nasi

et menti, genae et frons sudore tecta. Cutis etiam colorem sanum amiserat, atque sordide flavum induerat. Saepe etiam contractilitate sua non amplius gaudebat, plica scilicet in collo vel ventre facta per aliquod tempus manebat; palpebrae circulo subcaeruleo circumdatae erant, oculi profundius quam in statu normali in orbitas relapsi. Vultus utplurimum peculiaris erat, anxius. Lingua subcaerulea, cum sedimento albo, calida, non valde sicca; sitis interdum aucta, interdum tamen non magna; vox debilis, ceterum nondum mutata.

Atque haec quidem levissima Cholerae species est, quam in vico littera C insignito observavimus. Exceptis autem casibus illis, in quibus initium vehementioris morbi speciei erat, raro occurrebat. Diarrhoea simplex, aquosa, saepius vehementissima, cum crepitu in intestinis, et pressionis sensu in regione epigastrica, at sine caeteris symptomatibus modo commemoratis, valde frequens erat, neque numerum immodice augere mihi videor, siquidem, comparatione instituta cum numero eorum, qui vera Cholera laboraverint, duplo majorem dicam. Notandum est, tali diarrhoea correptos, in catalogo Cholera aegrotantium non fuisse recensitos. Quod si factum esset, ratio sanatorum et mortuorum multo faustior fuisset, quam nunc, quia nobis fere semper contigit hosce aegrotantes sanitati restituere. Quando reputamus, in curatione horum aegrotorum magnam nos utilitatem aquae chlorii vidisse, saepius etiam, postquam solutio saleb cum laudano liquido Sydenhami, vel magna dosi, frustra adhibita erat, sique ab una parte probabilitatem attendamus sententiae, qua statuitur, copiam istam alvi profluviorum productam fuisse unius

ejusdemque causae, et ab altera parte denuo concedamus terminos definitos verae et spuriae Cholerae constitui non posse, fateri debemus, conjecturam a nonnullis forsitan propositam, qua plures casus, pro Cholera spuria habitos, ad veram pertinuisse suspicentur, nihil minus quam ineptam esse. Quidquid sit, retulimus vera; hoc igitur attendere velint lectores in dijudicandis datis nostris statisticis.

Species secunda. Morbo pergente, vomitus et alvi dejectiones frequentiores fiebant. Vomitus semper cum aliquo impulsu sine ulla intentione locum habebat, eratque copiosus, sine praevia aut insecuta nausea. Alvi dejectiones plerumque cum torminibus conjunctae erant, atque per hanc viam semper multa idque facile excernebantur. Liquor vomitu redditus ab illo per alvum deposito diversus erat, plerumque scilicet profundius ex griseo coloratus. Alvo dejectus clarior erat, in illo vero ut plurimum flocci ex albo cinerei conspiciebantur, quasi decoctum oryzae esset. Flocci illi quieti dediti fere semper vasculi fundum petebant, dum liquor superior aquae aliquantulum sordidae similis erat, et motu, floccis in illo notantibus, turbidus fiebat. Urinae secretio, quae in leviori morbi specie, supra descripta, semper adhuc majori vel minori copia locum habebat, nunc plerumque suppressa erat. Nimirum in vico C, quantum scio, duo modo casus obvenerunt, in quibus caetera symptomata verae Cholerae praesentiam clare demonstrabant, et nihilominus urina, fere toto durante morbo, minori licet copia, secernebatur. Unus casus minoris erat vehementiae, quem igitur silentio praeter-

mitto. Alteram vero tanquam exceptionem regulae generalis hic narrabo.

Sara Schep, puella tredecim annos nata, die 26° m. Julii 1849 verą Cholera corripiebatur; alvi dejectiones atque vomitus frequentes erant, illis Cholera aegrotantium similes; pulsus arteriarum vix percipi poterat; cutis humida et frigida erat, sudore viscido tecta; plicae cutis per aliquod tempus manebant. Facies collapsa, ut et extremitates colore cyanotico tinctae erant. Spasmi surarum tam vehementes erant, ut quamvis vox alioquin fere non audiri posset, alto clamore dolores indicaret aegra. Excretiones per os et per anum, per totum diem et etiam sequente pergebant, et tamen, omni id asseveratione affirmantibus cognatis, hocce etiam die bis urinam reddidit. Die 27° m. Julii post meridiem animam efflavit.

Reliqua vehementioris hujus morbi speciei symptomata sequentia erant: cutis calor multum diminutus erat[1], praesertim in extremitatibus et partibus corporis prominentibus, uti auriculis et naso, qui vel in insigni aëris calore, qualis in secunda luis periodo interdum fuit, glaciei sensationem offerebat. Etiam oris cavitas, inprimis et linguae apex valde frigebant. Frons et caeterae corporis partes magis humidae.

Ob majorem aegrotantium numerum, ad observationes circa temperaturam accuratiores, ejus in variis corporis partibus differentiam, cetera tempus nobis defuit. Melius etiam tales observationes in nosocomio perfici possunt.

Cutis interdum sicca, interdum sudore frigido tecta. Plicae in collo et ventre, ad carpos et in manibus

ipsis per aliquod temporis spatium persistebant. Hocce symptoma diutius et luculentius in natu majoribus, quam in junioribus observavimus, dum in infantia non raro deficiebat. Pulsus saepius tam parvus et filiformis erat, ut exercitatio quaedam requireretur ad eum percipiendum, cum mox, aliqua pressione instituta, evanesceret. Pulsuum frequentia pro aetate et constitutione diversa erat, a 70 ad 100, interdum plures adscendens, in genere regularis. Pulsus frequens in initio morbi plerumque malum omen erat. Rhythmus universe etiam aequabilis erat, quantum memini, tres tantum 440 casuum in vico C cum pulsu intermittente, observavimus, et licet malum vulgo signum censetur, omnes sanitati restituti sunt. Prima erat foemina 38 annos nata, nomine Nebbeling, quae die 20° m. Julii morbo affecta est. Cholera satis vehemens erat, non tamen summum gradum attingens, quae in reactionem regularem transiit; deinde celeriter convaluit. Post tres ictus pulsus intermittebat. Secundus, Corn. Bosson, 45 annos natus, qui die 31° mensis Julii, in stadio prodromorum continuo auxilium imploravit atque accepit, deinde Choleram vehementem passus est, et in quo pulsus intermittens per duos dies perstitit.

Tertia, Alida van der Linden, puella 25 annorum, die 10° m. Aug. etiam in stadio prodromorum reperta, deinde secundam vel mediam Cholerae speciem tulit (in qua describenda jam versamur), cum reactione regulari, signis congestionis capitis stipata. Postrema etiam singultum vehementem habebat. Pulsuum intermissiones per sex dies observatae sunt. Post 6—9 ictus plerumque intermissio sequebatur.

Inquisitio physica cordis et pulmonum hisce in casibus nihil abnorme docuit. Dum pulsus arteriarum Cholera aegrotantium non nisi difficulter percipi poterant, cordis ictus plerumque sentire, fere semper stethoscopii ope audire potuimus; primus sonus semper debilis erat, interdum tantummodo sonum secundum clariorem audivimus. Venaesectione, quae operatio in initio luis in vico C, interdum instituta fuit, plerumque nihil sanguinis, saepius tantummodo post magnam intentionem, consecuti sumus. Neque vulnera, hirudinibus inflicta, haemorrhagiae ansam praebuerunt. Sanguis erat obscurus, pici liquidae similis, quod non mirandum, quando reputamus, sanguinem, secretione in mucosa primarum viarum aucta, suam partem aquosam amisisse, et ob tardam circulationem lente modo oxygenio depurari potuisse. Sanguis tarde e vena effluebat, aëri expositus vix rubescebat, coactus parcam tantum seri quantitatem offerens. Placenta soluta, obscura, ex coeruleo rubra. Stasin sanguinis in venis, causam habeo coloris cutis coerulei, cyanotici; maxime manifestus erat in facie, manibus et pedibus, interdum per totum corpus dispersus. Apud multos haecce cyanosis parum tantum apparuit, etiamsi cetera Cholerae symptomata satis vehementia essent. Observatio me docuit, cyanosin majori gradu et celerius oriri in plethoricis, serius e contra et minori gradu in macilentis et anaemicis.

Oculi profundi in orbitas recesserant, circulo coeruleo circumdati, magis quidem quam in prima morbi specie. Pupillae plurimum sursum versae, ita ut infimum scleroticae segmentum videri posset. Quia labium

superius elevatum erat, dentes plerumque in conspectu erant. Anxietatem magnam facies collapsa exprimens, quod cum oculis profundioribus aegroto vultum peculiarem tribuebat, κατ' ἐξοχὴν nomine faciei cholericae insignitum. Lingua magis sicca, utplurimum sedimento sordido ex albogriseo obsessa. Vox debilis, rauca, aliquid peculiare habebat, quamobrem etiam de voce cholerica loquuntur, quasi ex sepulcro vel cella veniens; dolore vero percepto, acutior et altior fiebat. Respiratio in plurimis casibus placida et lenis, interdum imperceptibilis, interdum brevis et accelerata, cum exigua tantum pectoris dilatatione. Aër exspiratus frigidus. Aegroti susurrum aurium percipiebant et somni expertes erant. Sitis vehemens aegrotos cruciabat, aquae frigidae appetentes. Ciborum appetitus deletus erat. Quod attinet ad animi conditionem: aegrotantes depressi erant, et, mentis licet compotes, apathes, ita ut mater infantem, infans parentes sibi morte subduci videret, nullam animi commotionem probans. Sensus eo nomine abnormis erat, ut aegrotantes, nonnullis tantum exceptis, frigus sui ipsius corporis, non perciperent, stragula saepius abjicientes, et applicationem caloris, uti urceorum calidorum, non libenter tolerantes. Nisi antea jam adfuissent, nunc etiam plerumque spasmis dolorificis in pedum digitis, in suris et brachiis aegri vexabantur. Nonnunquam spasmi caeteris Cholerae symptomatibus respondebant. In aliis aegrotantibus contrarium obtinebat. Non raro, Cholera regnante, homines spasmos satis vehementes, sine alio quodam morbi signo passi sunt. In nonnullis casibus, praesertim autem in tertia, vel vehementissima Cholerae

specie, plane desiderabantur. Surae et brachiorum musculi insigniter saepe tumebant, ad tactum dura erant, pedum et manuum digiti curvati. Interdum musculorum contractiones, et brachiorum, et pedum tam vehementes erant, ut fere omnes musculos superficiales et tendines extremitatum distinguere possemus. Inquisitio regionis medullae spinalis pluries instituta, nihil peculiare docuit. Pressionem satis fortem tolerabant aegri, nullum dolorem significantes.

Species tertia. Haecce species plurimis nomine Cholerae paralyticae, aliis Cholerae asphycticae indicata, fere semper ex secunda originem petebat, prima interdum etiam praegressa. Alvi dejectiones praesertim et vomitus in hacce morbi specie plurimum diminuebant, vel desinebant. Casus existunt, in quibus alvus et vomitus, durante totius morbi decursu, desiderantur, quamquam ventris pressione, liquor in ventriculo et intestinis distincte auditur et sentitur. Haecce species ad malignissimas pertinens, et, utplurimum, intra paucas horas interficiens, Cholera sicca nominatur. A paralysi ventriculi et intestinorum pendere, et igitur Cholera exquisite paralytica esse, videtur. In hisce regionibus raro observatur, et quantum scio, inter 440 aegros in vico C, de quibus observationes mihi communicatae sunt, semel tantum observata est, nempe in Johanna Toebes, foemina 63 annos nata, cujus casus historia brevis infra narrabitur.

Venter collapsus, imo ad spinam vertebralem retractus. Percussio per totam extensionem sonum obtusum edebat; interdum motus intestinorum peristalticus et liquores exinde commoti facile distingui poterant. Alvus

cruenta in nonnullis hujus vehementissimae Cholerae speciei casibus observata, prorsus peculiaris erat; in initio saepe subflava, postea obscurior erat coloris, flavo-brunnei, cocciolatae, quae dicitur, similis, ingenere proprio aegrotantium vultu indicata, ut plerumque praenunciare potuerimus, num alvus cruenta metuenda esset, nec ne. Urinae secretio prorsus suppressa. Cutis calor magis etiam decrescebat, praesertim in locis a corde longe remotis, uti pedes et manus, etiam in naso et lingua, quae tactui glaciem referebant. Urceis calidis, vel saccis arena calida repletis, aliquem calorem superficialem communicare quidem poteramus, at celerrime iterum evanescebat. Cutis, praesertim frontis, genarum et menti saepius sudore viscido tecta, quod fere semper signum erat prognosticum malum. Manuum cutis, interdum etiam pedum, plerumque rugosa erat, non improprie cum cute lotricum comparata. Plicae praesertim in collo, ventre et extremitatibus factae per aliquod tempus manebant, elasticitate cutis perdita. Pulsus arteriarum praecipue in extremitatibus et locis a corde longe remotis, difficulter percipiebatur, quamvis in latere dextro facilius quam in sinistro; carotidum autem pulsus exacta investigatione semper adhuc observabatur. Cordis ictus raro tantum tactu distingui poterat; etiam stethoscopium hoc fine applicatum, magnam animi attentionem postulabat. Anima frigida, respiratio difficilis; facies, praecipue oculorum circumferentia, genae, labia, pars lateralis et alae narium, colore coeruleo tincta erant, dum extremitates magis adspectum violaceum habebant; ungues praesertim manuum, adhuc profundius colorati. Etiam in secunda morbi specie, ut supra jam

diximus, haecce coloris mutatio aliquando observata est, attamen multo rarius et semper minori gradu. Palpebrae pro parte tantum apertae, oculi profunde in orbitas retracti, atque immobiles, sursum directi erant, ita ut per palpebrarum aperturam parva modo corneae pars conspici posset. Facies anxietatem exprimebat, nasus acutus, genae et tempora collapsa, os saepius partim apertum; lingua pallida et sicca, sitis fere inexplebilis, desiderium aquae frigidae vehemens. Vox rauca et debilis, auditu vix percipienda. Conscientia integra. Aegri plerumque placide supinus decumbebant, se non ultro citroque jacientes, neque de anxietate vel angore questi, spasmis vero redeuntibus, magis inquieti erant. Spasmi praesertim in suris, interdum etiam in brachiis, saepius tam vehementes erant, ut vel iis, quibus vox ceteroquin debilis esset, clamore claro, acuto dolores significarent; musculi superficiales contractione duri fiebant et insigniter tumebant. Aliquando spasmi clonici musculorum faciei visi sunt. In hacce morbi specie, ubi aegroti vires suas celerius amittebant, prognosis multo minus fausta erat, quam in secunda, vel potius perquam infausta. Plerumque enim letalis erat.

Quacunque sub forma hic morbus inveniretur, decursus semper celer erat. Summus Cholerae gradus tam acutus in decursu suo, ut homines, specie sanissimi, subito tanquam fulmine icti sub spasmis collabantur et post aliquot momenta sine vomitu et alvi dejectione succumbant, quae forma Cholera apoplectica vel fulminans dicitur, a nobis non observatus est. In solis fere regionibus calidioribus occurrere videtur, quanquam in

Russia etiam hancce morbi speciem observavisse medici dicuntur. In vico C tempus durationis in genere unius diei erat vel duorum; aliquando etiam morbus celerius, intra aliquot horas aegrum e medio tollebat. Janus Stoker 6 annos natus, $1\frac{3}{4}$ horae spatio suis ereptus est, dum plures 3 vel 4 horis atroci huic morbo succubuerunt. Pauci post quatuor vel quinque vel plures etiam dies mortui sunt, sine typho Cholerico, de quo mox, ex paralysi pulmonum vel debilitate universali, quod potissimum in aetate provecta observavimus. Non semper vero aegroti ipsius Cholerae impetui succubuerunt. Vires organismi, miasmate vel contagio oppressae, pluries veluti evigilabant, quando symptomata ad stadium reactionis, quam vocant, pertinentia apparebant.

Stadium reactionis. Pulsus sensim increscebat, temperatura et elasticitas cutis augebantur, secretio urinae sensim sensimque restituebatur, evanescebat apathia; alvi dejectiones rariores, profundius coloratae, pulti similiores et foetidae fiebant. Atque sic quidem exitus in sanitatem, signis morbo ipsi propriis, sensim sensimque diminutis, sequebatur. Fere semper hoc sine crisi fiebat, in nonnullis tantum casibus sudor universalis, graveolens aderat, vel etiam sedimentum in urina. Diu saepe magna intestinorum sensibilitas, alvi segnities, dolor in regione epigastrica, insomnia et inertiae sensus in extremitatibus supererant. Non raro, quando aegrotos jam servatos credebamus, redibat diarrhoea vehemens, subinde etiam vomitus, quo morbo quasi recidivo valde debilitantur aegri, et iterum in magnum vitae periculum deducebantur, eventu aliquando lethali. Pluries in hocce reactionis stadio, congestio cerebri vehemens orie-

batur, per se periculosissima, et magnam medici attentionem postulans. Ex hac enim congestione, in aegro, ut sibi videbatur, sanitati jam proximo, saepius, tam post leviorem quam post vehementiorem Cholerae insultum, ita dictus typhus Cholericus evolvebatur, morbus secundarius valde periculosus, hisce symptomatibus stipatus: facies plerumque tumida, rubra, conjunctivae vascula sanguine repleta; oculi splendentes, immobiles; vultus efferatus; totum caput, praesertim frons et genae ardebant, lingua sicca, rubra, striata, respiratio difficilis; aegrotantes inquieti et in regione cordis dolorifici, interdum delirantes.

Postquam haec symptomata per aliquot horas perseveraverant, character typhosus apertius prodibat. Vultus peculiaris, stupidus fiebat; bulbi oculorum magis sursum directi manebant, palpebris amplius patefactis. Aegroti erant somniculosi, evigilari quidem poterant, at celerrime in pristinum soporem recidebant. Loquela erat balbutiens. Urinae secretio sensim sensimque restituebatur, alvus plerumque adstricta erat; interdum tamen iterum diarrhoea et vomitus oriebantur; saepe alvus involuntaria. Pulsus satis frequens (100 in minuta prima), plenus, aliquando tensus et irregularis; carotides fortiter pulsabant; cutis in genere sicca et calida.

Pluries post aliquot dies mors sequebatur, non raro autem transitus erat in sanitatem, quae tunc sine criticis excretionibus restituebatur. Eventus plerumque ab aetate et constitutione pendebat, dum plures junioris aetatis et natu majores, etiam sanguinei hocce morbo secundario mortui sunt; minus plethorici et mediae aetatis aegri, plerumque servati sunt.

A typho vulgari, cholericus ille cum aliis differebat, tum defectu certarum exacerbationum et remissionum, tum celeriori decursu, tum Cholera praegressa, subinde etiam relictis aut redeuntibus hujus morbi symptomatibus.

---

b. *Observationes singulares.*

Absoluta generali morbi descriptione, a propriis observationibus desumta, sequitur, ut de notabilioribus quibusdam symptomatibus, quae vel durante Cholera, vel post eam observata sunt, deque aliis nonnullis, quae memoratu digna sint, annotata referamus.

Praemonendum tamen, plerorumque brevem tantum adumbrationem dari, quoniam omnium, prae multis agendis, in tristibus illis Cholerae regni diebus, copiosa descriptio institui non potuit, neque praeterea intra fines hujus dissertationis positum est, omnium vel partes minutissimas commemorare.

Ordinem quod attinet, quantum fieri potest, eum secuturi sumus, ut singularia, de quibus agere constituimus, symptomata citentur secundum diversa Cholerae stadia, quibus prodierunt. Incipiemus autem a descriptione conditionis peculiaris, in quâ nonnulli quo tempore morbo correpti sunt, versabantur.

Inter correptos femina erat, quae etiam anno 1832 Cholerâ laboraverat; morbi hujusce foeminae, infra brevis historia invenitur.

Item de viro quodam ebrietati dedito, qui Cholerâ captus est, pauca quaedam commemorabuntur.

Plures potatores morbo sunt correpti, neque tamen omnes annotati sunt.

Multos interim in vico C istiusmodi homines cognovi, qui a Cholera manserunt immunes.

Duas observavimus foeminas, quae, paralysi extremitatum inferiorum laborantes, Cholera correptae sunt. De altera mox quaedam referemus.

Neque phthisici immunes relicti sunt. Unum Doct. Oudenhoff vidit, qui in ultimo phthiseos stadio Cholera succubuit. Errant igitur, qui contendant, phthisicos immunes relinqui. Attamen quoniam inter omnes in vico C Cholera laborantes, quantum mihi innotuit, unus tantum phthisi erat affectus, de quo infra, ea quae commemoravit Romberg 1) scil. complicationem cum phthisi raro locum obtinere, nos etiam confirmata videmus. Notandum tamen, opportunitatem nobis defuisse cadaverum sectionum instituendarum. Quae si fuisset, fortasse in uno alterove tubercula etiam invenissemus.

Sicuti jam diximus in capite de aetiologia, inter Cholera laborantes, 12 erant gravidae, in diversis graviditatis periodis. Earum historiae descriptae sunt in opere periodico: *Tijdschrift voor verloskunde*, a Doct. Broers et Clar. van Goudoever edito, sub Num^is^

---

1) Romberg, Bemerkungen über die Asiatische Cholera. Berlin 1832, pag. 29.

II, V, VI, IX, X, XVIII, XIX, XX, XXIV, LII, LIII, LIV.

Harum mulierum *septem* fato cesserunt, *quinque* revaluerunt. Mulier quaedam, quae circiter per sex hebdomades gravida erat, ut sectione apparuit, jam ante Cholerae impetum abortavisse videtur, quum nullus foetus in utero inventus, nec quidquam abortûs durante morbo observatum sit. *Tres* durante morbo abortarunt, harum *duae* valetudinem recuperarunt. Mulier illa, quae succubuit, per 6 menses gravida erat, sicuti et altera earum, quae revaluerunt; harum autem altera per 6 hebdomades. Sic ex alia quadam foetus vi est eductus, (accouchement forcé), haec revaluit prouti dein in morbi historia videmus.

Apud aliam quamdam, partus arte praematurus obtinuit, alia forcipes ope foetu est liberata, utraque debitum fato reddidit, altera per 8, altera per 6 menses gravida.

Quaedam 6 hebdomades gravida abortavit 6ª hebdomade, post morbi impetum, a quo jam dudum revaluerat.

Tres mulieres, quarum *una* per 2, ambae reliquae per 7 menses gravidae erant, perieruut antequam abortassent.

Una tantum per 3 menses gravida foetum retinuit, atque solito tempore foetum vivum enixa est. Infans die 14º Februarii natus, nunc per 4 circiter menses vixit.

De Cholera correpta quadam, apud quam vomitus non obtinuit, infra dicturi sumus, uti et de casu Cholerae siccae, et de quodam, apud quem vomitus vehemens observatus est.

De puella, quae durante ipsa Cholera bis urinasse dicitur, jam antea diximus.

Apud virum quemdam, 26 annos natum, nomine Philippum van Schaick, tertia Cholerae specie laborantem, simul delirium furibundum exstitit, dein congestione cerebrali affectus, altero post initium morbi die fato cessit.

Inter symptomata, quae saepissime sunt observata, quamvis indiciis pathognomonicis accenseri non possint, prae caeteris memoratu digna est alvus cruenta. Haec, quantum mihi innotuit, inter 440 aegros a doct. Oudenhoff et de Ridder et a me ipso observatos, *sexagesies* et *quater* obtinuit, quo sub numero etiam, qui in nosocomio curati sunt, intelliguntur.

Semel obtinuit apud puerum decem annos natum. Semel item apud tredecim annos natum, neque tamen id tamquam omni dubio majus dictum sit, volumus.

Porro *sexies* annum inter . . . . . 21um et 31um,
decies » » . . . . . 31um et 41um,
tredecies » » . . . . . 41um et 51um,
vicies » » . . . . . 51um et 61um,
octies » » . . . . . 61um et 71um,
et *quinquies* apud eos, qui annum ultra 71um agebant, occurrit.

Inde igitur liquet, illud symptoma apud parvulos natu, non aut vix certe observatum esse, at apud majores natu saepius, pro annorum ratione, siquidem variis aetatibus, pro ratione 440 correptorum, quos nos observavimus, numerus aegrotantium prodierit par numero omnium correptorum, in vico C: exceptis tamen annis, annum 51um et 61um intercedentibus, quo temporis spatio apud 20 observata est.

Sic uti ubique fere, ita hîc quoque omnes aegri, qui

alvum cruentam habebant, perierunt, unâ exceptâ, muliere 54 annos natâ, quae dicitur *mater* Meree. Haec tertia hebdomade postquam Cholera fuerat correpta, alvum emisit cruentam; attamen veri non dissimile est, sanguinem fuisse haemorrhoidalem. Etiam in nosocomio Cholerâ laborantibus destinato, duo alvo cruentâ laborantes restituti esse dicuntur (hi tamen non pertinent ad vicum C), quum vero inquisitio ope microscopii non est instituta, tamquam omni dubio majus affirmari non potest 1).

Haec alvus cruenta plerumque oriebatur in stadio reactionis, aut in typho cholerico, haud raro tamen etiam ante illud tempus. Quando apud singulos exstiterit, accurate non annotavi.

Apud mulierem 62 annos natam, viduam Kampers, quae die 18° Decembris corripiebatur, ac gravi Cholerâ et alvo cruenta laborabat, tres horas ante mortem quâ die 19° Decembris periit, maculae nigrae observabantur in sclerotica. Brevem historiam addidimus.

Idem hoc observatum apud uxorem Jungii 70 annos natam, quae die 11° Augusti morbo correpta, itidem alvo cruentâ laborabat, atque eodem die succubuit.

Apud 7 homines, quorum natu minimus 23 annos agebat, vehementior singultus observabatur, qui saepius non nisi magna cum difficultate magisterio bismuthi aut belladonnâ depelli poterat. Multi alii fortassis eo, at multo leviori laboraverint, apud quos tum sponte sua evanuit, et cujus annotatio facta non est.

1) Ned. Lancet, 2de Serie, 5de Jaargang, N°. 5.

Septem illorum de quibus dixi, 5 sanitati restituti sunt, 2 fato cesserunt, ita ut symptoma infaustum dici nequeat. Plerumque exoriebatur in stadio reactionis.

Pulsus intermittens apud 3 homines observatus est, cujus rei jam mentio facta est in descriptione morbi generali.

Eclampsia non nisi apud pueros $2\frac{1}{2}$ aut $3\frac{1}{2}$ circiter annos natos, idque quidem *quater* observata fuit. Apud *tres* exoriebatur ante stadium reactionis, semel in illo. Duo eorum revaluerunt, duo perierunt.

Trismus et convulsiones universales, observabantur apud puerum $2\frac{1}{2}$ annos natum, cui non nisi imperfecta contigerat reactio; postridie morbi initium obiit.

Apud puellam *tres* annos natam, quae jam a duobus inde diebus revalescebat, trismi ac tetani insultus obtinuit, die 13° Decembris A^{i} 1848 corripiebatur, ac die demum 17° Januarii A^{i} 1849 tanquam sanitati restituta considerari potuit.

Apud virum quemdam in stadio reactionis exstitit haematuria. 39 annos natus primum Cholera, dein vehementi typho cholerico vexatus est, ac die demum 31° Januarii, mense igitur postquam morbo fuerat correptus, inter restitutos numerari potuit; de illo adhuc infra.

De puella quadum parotitide affecta infra brevem exhibebimus morbi historiam, uti et de viro, qui postea peripneumonia laboravit.

Apud quinque pueros, quorum natu minimus 7 menses, maximus 5 annos agebat, unâ exceptâ, omnes masculi generis, symptomata hydrocephali exstiterunt; omnes mortui sunt.

Inter symptomata interdum observata dignissimum, quod commemoretur, est peculiaris cutis efflorescentia. Quamvis minime opus esse existimem, ut omnium aegrotantium, qui exanthema cholericum habuerunt, singulares exhibeantur historiae, utpote quae ad multas ac nauseam moventes repetitiones conducerent, tamen operae pretium videtur breviter commemorare, quoties fuerit observatum, quo die post Cholerae initium primum apparuerit, quamdiu viguerit, utrum finitum sit desquamatione epidermidis, et tandem qualis morbi fuerit exitus apud eos, qui exanthemate Cholerae proprio affecti fuerunt.

Mirum mihi videtur, de hac re nihil, quod notari mereatur, apud auctores esse expositum. Multi hujus symptomatis ne mentionem quidem faciunt; illi vero, qui de eo egerunt, hoc fecerunt quam brevissime, verosimiliter, quod et illis, sicuti nobis, res erat admodum obscura.

Inter 440 in vico C Cholera correptos, qui curae virorum doct. de Ridder et Oudenhoff vel meae fuerunt mandati, quorum tamen nonnulli serius ociusve in nosocomium sunt transportati, ita ut hos etiam computaverimus, decies tantum apparuit, et quidem quinquies apud masculi, quinquies item apud feminini generis homines.

Una e correptis, Johanna Drijver, tertiam agebat vitae hebdomadem. Una annum erat nata $1\frac{1}{2}$, scil. Maria de Winter; tres annum agebant 8um, An-

dreas van Deventer, Susanna Dusschenbroek et Johannes van Eldik; unus 17um, Didericus Vreeswijk; duo 18um, Gerhardina Peek et Alida Emmelot, (vid. hist.) unus 25um, Didericus Korbeek, (vid. historiam); maximus natu, Mozes Schep, 48um annum aetatis agebat. Animadversione dignum mihi videtur id, quod, quamquam tam multi annum ultra 25um aetatis agentes in vico C Cholera fuerint correpti, unus tantum eorum proprio isto exanthemate affectus est.

Prima, in qua exanthema illud observavimus, erat Maria de Winter. Haec die 6° Dec. Cholera erat correpta, ac dein gravi typho cholerico laboravit, cui et die 19° Dec. succubuit. Tertio ante mortem die, exanthema prodiit, itaque die 10° post morbi initium. Per tres dies continuos floruit, et hora demum ante mortem secundâ evanuit.

Apud secundum, Johannem van Eldik, die 13° post morbi initium exstitit. Typho tum laborabat cholerico, cujus vehementia prodeunte exanthemate magnopere diminuebatur. Per duos et dimidium diem floruit, et desquamatione epidermidis evanuit. Aeger autem revaluit.

Tertia, Susanna Dusschenbroek, die 22° Julii Cholera erat correpta, in typhum cholericum dein incidebat, et die 25° Julii cum matre, eo die cholerâ correptâ, in nosocomium transportabatur. Paucis post horis, ibi, admodum imperfectum licet, in manibus ejus ac brachiorum partibus anterioribus prodiit exanthema. Paucis diebus post (29° Julii) obiit aegra.

Quartus, Didericus Vreeswijk, die 20° Julii Cho-

lera corripiebatur, et in nosocomium transportabatur. Apud hunc exanthema admodum manifestum erat; quo vero die apparuerit, non annotatum est. Obiit aeger typho cholerico.

Apud quintam, Gerardinam Peek, prodiit die 11° post morbi, omnium fere, quos observavit doct. Oudenhoff, vehementissimi, initium; per biduum floruit, et desquamatione epidermidis gravi abiit. Aegra revaluit.

Sexta, Alida Emmelot post tres hebdomades succubuit. Stadio algido diuturno exacto, exoriebatur typhus cholericus, quo durante in utroque latere parotitis et exanthema exstitit. Vide historiam.

Septimus erat Didericus Korbeek, apud quem die 7° post morbi initium exoriebatur exanthema, cujus etiam historia infra sequitur.

Apud octavam, Johannam Drijver, jam in initio, at imperfectum, in manibus et vultu adfuisse videtur exanthema. Illa quoque periit.

Nonus, Andreas van Deventer, die post morbi initium 5°, eo afficiebatur, postquam vehemens typhus cholericus exstiterat. Post biduum et quod excedit, paulatim evanuit. Aeger vires recuperavit.

Apud decimum postremo, Mozen Schep, 48 annos natum, die 14° Aug. erupit exanthema copiosum. Ille quoque revaluit. Exanthema apud eum per triduum maxime floruerat.

Quamvis foret temerarii, ex decem his correptorum historiis, positivas quasdam deducere sequelas, inde tamen videmus, tempus, quo exanthema oritur, valde di-

versum esse. Punctum, circum quod versari soleat, dies decimus indicari posse videtur. Raro existit post Choleram leviorem; itaque vulgo occurrit, quo tempore in typhum cholericum inciderint aegri.

Plerumque orditur a papulis subrubris, parum elatis, in cute colli, pectoris et extremitatum superiorum, quae pressione evanescunt. Paucae horae requiri videntur ad ulteriorem exanthematis evolutionem. Postquam ad suum pervenerunt fastigium, optime cum morbillis comparari possunt, attamen maculae paullo sunt majores. Sunt maculae et papulae admodum rubrae, plerumque a se invicem discretae, subinde etiam confluentes, quodammodo in coni formam e cute surgentes. Rubor in medio maxime distinctus est, in margine paulatim in colorem cutis vulgarem mutatur. Neque dolorem, nec pruritum efficiunt. Stuveri circiter (sit venia verbo), habent circuitum. Pressu aut plane evanescunt aut certe pallescunt; ad tactum quodammodo sunt durae ac asperae. Odorem peculiarem non habent.

Decursu normali, per triduum florere videntur, dein sensim paulatimque pallescunt, donec prorsus evanescant, et post spatium brevius longiusve (6um circa et 15um diem) epidermidis desquamatione terminantur. Exanthemate exorto, symptomata typhi cholerici semper decrescunt.

Ubi normalem decursum habet exanthema, haud infaustum signum prognosticum nobis videtur. Ex 5 hominibus, qui, quamquam iis exanthema contigerit, mortui sunt, apud duos imperfectum tantum apparuit; alia quaedam parotitide simul laborabat; reliqui ambo gravissimo typho cholerico vexabantur, atque altera eorum

tenella erat, qui secundum aetatis annum nondum compleverat. Quatuor sanitati restitutorum, quamquam gravissimo typho cholerico laborarent, statim post exanthema exortum ad meliorem conditionem transierunt.

Apud septimum tandem, Didericum Korbeek, periculum animadvertimus, quod, exanthemate citius evanescente, oriri potest.

Attentione dignum nobis visum est, quod, tam cito evanescente exanthemate, cujus et cum morbillis tanta intercedit convenientia, inflammatio quoque exoriebatur ejusdem organi, quod et in morbillis adeo facile in phlogosin incidit. Korbeek enim, qui gravi typho cholerico laboraverat, ex meâ quidem sententiâ, exanthemate tam cito evanescente, magis haberi posset aptus meningitidi quam peripneumoniae.

Deus optimus maximus avertat, ne rursus epidemia oriatur. Quodsi tamen iterum aliquando saeviat Cholera, summi omnino nobis videtur momenti, ut quam accuratissime ad hoc etiam exanthema attendatur.

Vir quidam ebrietati deditus die 7° Augusti Cholera corripiebatur. Vehemens illum morbus invasit, ac dein gravis obtinuit reactio. Diu diarrhoea perduravit ac serius oedema pedum ortum est. Die 22° sanitati restitutis annumerabatur. Die 30° autem apud eundem herpes zoster apparuit, qui per 3 dies perstitit.

Puerulus quidam, 4½ annos natus, die 7° Augusti, non adeo gravi Cholera affectus, die 12° tamquam restitutus indicatus, dein incidit in morbum maculosum Werlhofii.

Gangraenam ex decubitu apud 2 homines annotatam inveni; apud virum scilicet, qui die 16° Julii Cholera correptus, dein gravi typho Cholerico laboravit, et apud mulierem, quae a die 12° Aug. haud minorem in modum morbo fuit vexata. Lente ambo revaluerunt.

Mirum est, gangraenam illam in hoc morbo, quo sanguinis circulatio tam lente fit, et quo etiam sanguis tantopere affectus esse videtur, non saepius obtinuisse. Ipsius autem initia apud plures, quibus morbus diu inhaesit, observata sunt.

Nonnullae graviores diarrhoeae a morbo relictae, decocto rad. columbo mox opprimebantur.

Octies oedema pedum observabatur. Jusculis nutrientibus, vino et decocto corticis Per., plerumque intra 14 dierum spatium hoc symptoma debilitatis universalis depellebatur.

Puer, 2 annos natus, admodum scrophulosus, die 27° Aug. Cholerâ leviori corripiebatur, revalescebat, postea vero in hydropem anasarca incidit, cui succubuit die 20° Septembris.

Apud quatuor tantum e Cholerâ restitutos febrem intermittentem observavimus. Typus apud singulos erat quotidianus. Evanuit usu sulph. chinini. Unus tantum erat, in quo aliquoties redibat, at et hîc tandem, continuatis dosibus satis magnis sulph. chinini, depellebatur.

Natura autem horum, quos observavimus, morborum Choleram excipientium vel symptomata concomitantia nil docet, quo ipsius Cholerae naturam cognoscere possimus interius. Post quemvis enim morbum graviorem, saepius in stadio convalescentiae, diarrhoeae aut oedema pedum observantur.

Morbum maculosum fortuitum habemus.

Neque quatuor, febre intermittente affecti,' attentionem movere possunt reputantis, febrem intermittentem morbum esse, qui saepissime in vico C occurrit. Notabile tantum visum est id, quod hi quatuor eundem typum quotidianum habebant.

Per se patet, nullas his nos instruere hypotheses de naturâ Cholerae. At vero speramus fore ut accurata observatio omnium, quae ante, per ac post Choleram observari possunt, aliquando nobis interiorem cognitionem naturae Cholerae conciliet. Tunc enim et curatio nostra, etiamsi non ab omni parte sufficiat, erit certe rationalis.

L u d o v i c u s K a m p e r 8 annos natus, die 2° Augusti Cholera captus, ac 10° sanitati restitutus, die mensis ejusdem 17° denuo in levem morbi speciem incidit, quae constabat in borborygmis intestinorum atque in alvo ptisanam oryzae referente. Brevi revaluit.

Atque his quidem praemissis, transeamus ad exponendas singulares morborum historias.

I. *Cholera in femina anno quoque* 1832 *correptâ.* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

Mulier quaedam, nomine van den Bosch, 54 annos nata, quam apud alios Cholera laborantes saepius videram, mihi narraverat, se anno 1832 etiam morbo isto fuisse correptam. Haud raro me interrogavit, utrum quis bis hocce morbo posset corripi, quod semper, ne anxietatem illi moverem, negavi. Die 6° Augusti 1850 horâ pomeridiana 2ª, eam inveni in stadio prodromorum Cholerae. Consilium ei dedi in nosocomium migrandi, quod lubens obsequebatur.

Postea audivi, eam Cholerâ fuisse paralytica affectam, ac die jam sequenti succubuisse. Plures praeterea homines mihi noti sunt e vico C, qui secundum ea, quae narrarunt, etiam anno 1832 fuerunt correpti, nunc vero immunes relicti sunt.

II. *Cholera in viro ebrietati dedito* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

Didericum P..... 50 annos natum, ebrietati prorsus deditum militem veteranum, vespere diei 13ⁱ Augusti, ebrium per plateas titubantem animadverteram. Quum satis superque modum laetum se praestaret, consilium ei dedi domum abeundi, quod, voluntate licet ac pedibus repugnantibus, tandem obsequebatur.

Nocte diei 14ⁱ Aug. ad eum arcessitus, inveni eum in stadio Cholerae algido. In nosocomium transvectus, ibidem die 16° mortuus est. Soror ejus in eadem domo habitans, duabus horis post eodem corripiebatur morbo,

et ipsa in nosocomio obiit. Iterum duabus horis post, in eâdem domo alia ex eâdem familiâ, Elisabeth H....., corripiebatur, ac in domo sua succubuit.

III. *Cholera in muliere paralysi laborante.* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

Vidua Koopman jam a pluribus inde annis erat valetudinaria. Jam anteaquam Cholera laboraret, saepius ipsam tractavi. Videtur, hoc certe ex iis, quae narrabat, concludere debui, antea laborasse myelitide, unde illi remanserant paralysis extremitatum inferiorum, et incontinentia alvi urinaeque.

Muliercula erat admodum debilis, quae semper lectum tenebat. Jam in eâdem domo, cujus in parte superiore cubiculum conduxerat, duo homines Cholerâ fuerant correpti. Die 29° Julii H. Bezee, qui in inferiori domûs parte habitabat, ex inopinato Cholerae forma tertia corripiebatur, et paucis post horis succubuit. Die 31° Julii Antonia Pauw, quae et eadem in parte domûs superiori degebat, Cholerae initiis capiebatur, quae paucis post horis formam sibi vindicavit supremam, quâ postquam per 20 horas laboraverat succubuit.

Quamquam metus morbi haud raro morbi ortum promovet, tamen tuto nos contendere posse opinamur, id hîc locum non obtinuisse. Quotidie viduam Koopman visitabam. Numquam vel levissimâ metus specie affecta videbatur, quamquam in ejus viciniâ adeo morbus saeviret. Imo vero saepius, a Deo precabatur, ut per morbum saevientem vitae huic miserae finem concederet, atque revera die 11° Augusti in Choleram incidit. Etiam

in tristissima illa conditione a spasmis feliciter libera, summae patientiae sese praebuit exemplum. Die 14° Augusti, frusta adsumtis vel fortissimis exicitantibus, ex voto suo cum meliori hanc vitam commutavit. Filia, quae matris curam gerere non desierat, per tres dies diarrhoeâ Cholericâ laboravit.

IV. *Cholera in viro phthisi laborante.* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

Cornelius van Baren, 53 annos natus, antea jam saepius haemoptysi laboraverat. A die inde 26° Novembris magna pro parte, meae curae fuerat mandatus. Narrabat mihi, se postremis mensibus admodum emaciatum fuisse, semper tussiebat, attamen pauca sputa efferens. Sudor nocturnus, pulsus semper parvus et frequens observabatur, (100 in minuta prima), semper in latus dextrum decumbebat. Sonus percussione editus in regione subclaviculari, a dextra parte, per locum satis extensum, obtusus erat. Murmur respirationis ibi audiri non poterat. Postremo mense admodum diarrhoeâ colliquativâ laboraverat, quae semper usu laudani liquidi Sydenh. cohiberi poterat.

Die 26° Julii ejus filiola Cholerâ corripiebatur, quae formam retinebat secundam et jam vespere 27° Julii felici ac normali reactione terminabatur.

Die 27° Julii multo mane hanc puellam visitanti, pater narrabat, se denuo diarrhoea laborare.

Anxietatem ejus sedabam, opinatus, quod plurimi prodiderunt auctores, phthisicos vel numquam, vel certe raro Cholera corripi, et praescripsi illi laudanum liq. Syd.

Duabus horis post ad eum arcessebar. Tunc laborantem eum inveni manifesta Cholera; bis tantum vomitus ac ter alvus obtinuerat. Pulsus erat insensibilis, cutis et lingua frigida, cutis plica manebat, spasmi, urinae secretio oppressa, facies et vox cholerica observabantur; secundâ horâ post obiit.

Quod valde dolui, de cadaveris sectione ne cogitare quidem licuit.

V. *Cholera sub finem graviditatis. Partus provocatus. Sanatio* (*Observatio* Doct. H. J. Broers).

Die 22 Julii, matutinâ horâ tertiâ ac dimidiâ, arcessebar ad matronam.... ad finem graviditatis appropinquantem. Querebatur de ventris dolore. Mox diarrhoea, vomitus, lingua frigida, pulsus exilis, cutis gelida cum plicâ et dolor surarum vehemens, observabantur. Aegra haud procul aberat a partu: ostium non magis erat apertum quam vulgo apud mulieres, quae saepius pepererunt, paucis hebdomadibus ante partum.

Reputans, mulieres gravidas plerumque mori, nisi partum edant, at subinde, si durante morbo abortent, servari, partum vi provocandum esse (accouchement forcé) censui. Quod ut fieret, mox concedebatur. Secale cornutum praescripseram, quod tamen, quum statim evomeretur, vix dubium est, quin efficacitate caruerit. Digito meo, ung. Bellad. peruncto, et haud sine magnâ difficultate intromisso, circumvertendo, dilatationem quamdam effeci. Singulis punctionibus ostii dolores oriebantur, et spasmus surarum cessabat. Magna cum difficultate ostium dilatavi in circuitum nummi triumflorenorum.

Caput praevium erat, at spasmus uteri adeo erat magnus, ut membranae extruderentur, et versione spontanea foetus humeri offerrentur. Totum inferius uteri segmentum durum erat. Tandem magna cum difficultate manum intromittere potui, dum expertissimus Lamie uterum fixabat, versionem institui atque foetum ad humeros usque extuli; quo facto, expert. Lamie meas partes suscepit, et magno cum labore caput explicavit. Foetus vivebat, at erat asphycticus, reficiebatur et sanus erat, at duobus post diebus Cholera Asiatica mortuus est. Statim post partum reactio obtinuit et lochiae optime fluebant. Puerperium insoliti nihil quidquam exhibuit.

VI. *Cholera sine vomitu.* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

Mater Kram, 53 annos nata, tempore matutino diei 6i Augusti a me inveniebatur in stadio algido Cholerae, formae tertiae. Affirmabat, vomitum apud se non obtinuisse, at alvi dejectiones copiosissimas liquoris cholerici proprii.

Statim sequens praescripsi emeticum:

℞ Pulv. rad. ipecac. gr. XLV
Moschi optimi gr. iii
m. f. pulv. aeq. N°. iii
s. ¼ h. 1 pulv.

Post horam rediens audivi, nullam emesin fuisse secutam, quamquam 3 pulveres erant sumti. Conditio laborantis multo pejor evaserat, pulsus, certissima illa norma ad conditionem Cholera laborantium dijudicandam, percipi non poterat. Compresso epigastrio, distincte fluc-

tuatio observabatur. Praescripsi tunc sequentem formulam.

℞ Pulv. Ipecac. drachm. ß
Moschi optimi gr. iii
M. d. s. simul et semel exhibendum.

Me praesente, hic pulvis sumebatur, nec tamen hic vomitum excitare potuit.

Alvus qui jam primâ visitatione meâ erat flavi coloris, sensim profundior fiebat, donec tandem alvus vere cruenta existeret. Hora nocturna 2ª aegra succubuit.

VII. *Cholera sicca.*

Vidua Johanna Toebes, 63 annos nata, cholerici temperamenti, die 3°. Augusti 1849 Cholera corripiebatur. Meridie circiter, ad eam, (in plateâ *Katharijnestraat* domum habitabat N°. 881 insignitam) vocabar. Hanc mulierem die 1°. Augusti, in domo plateae *Bergstraat*, N°. 850 insignitâ videram apud Theodorum Bonier, ejus filium, cujus in domo tunc degebat, qui vero intra 6 horarum spatium, Cholerâ gravissima correptus, succubuit. Post hujus mortem domus a ceteris relinquebatur, puer enim natu minor in orphanotrophium migravit, et vidua nostra cum nepti sua, natu majori puella 18 circiter annos nata, ad alterum suum filium se contulit, ubi eam inveni in hac conditione.

In anacliterio, paucis tantem asseribus a pavimento lapideo sejuncto, porrecta jacebat. Oculi sursum erant conversi, palpebrae semi-apertae, labium superius retractum. Color faciei, sicuti et extremitatum cyano-

ticus, facies collapsa ac adeo mutata, ut vix credere possem, eandem illam esse mulierem, quam duobus ante diebus videram (vera facies cholerica); cutis per totum corpus frigida, marmoris instar; pulsus propemodum insensibilis erat; vox evanuerat, ita ut non nisi signis indicare posset, quae perciperet, nihil significans nisi sitim vehementem et graves spasmos surarum. Quum in vomitum inquirerem et alvum, haud sine magna miratione audiebam, illam nihil quidquam adhuc emisisse. Secretio urinae quoque plane erat suppressa. Praescripsi illi emeticum ex 45 gr. pulv. rad. Ipecacuanhae et 3 gr. Moschi, tribus dosibus sumendis, post singula 10 minutarum intervalla. Deinde clysma cum acido acetico; spiritum vini camphoratum ad suras fricandas. Haec omnia vi caruerunt, postremo excepto, quo dolores paullum mitigabantur. Hora pomeridiana $1\frac{1}{2}$ in eâdem etiam erat conditione, pulsus autem sentiri nunc non poterat. Iteravi pulveres, additis gr. 3 tartari emetici. Ceterum adhibendum mandavi clysma cum sulphatis sodae unc: 1. Haec quoque frustra dabantur; horâ pomeridiana tertiâ rursus praescripsi solutionem gummosam cum aqua chlorii, et dr. 2 spiritus vini camphorati, ad unc: 6. omni semi-horâ cochlear. Attamen nihil valuit ad ejus vires revocandas, hora enim quarta circiter succubuit.

Quod hacce epidemia saepius observatum est, ubi quis e domo quadam fuisset correptus, et alios ex domo eâdem corripi, hic confirmabatur. Etenim intra decem dierum spatium tres aliae ex hac domo correptae meis curis fuerunt mandatae, quae brevi admodum tempore, fato exacta solverunt.

Prior erat Helena van der Wurff, puella 15 annos nata, quae die 6° Augusti corripiebatur, ac die sequenti in stadio algido succubuit. Die 8° Augusti corripiebatur Letta van der Wurff, puellula 5 annos nata, cui quamprimum sese sentiebat male habentem, mater dederat spiritum vini cum tinctura amara, quaeque intra 5 horarum spatium obiit. Postremo, die 13° Aug. matrem, quae et ipsa nominabatur Letta van der Wurff, mulierem 40 annos natam, per 7 menses gravidam, morbus invasit. Diu morti repugnavit, at nocturna hora 12ª diei 15ⁱ Aug. animam efflavit. Foetus autem jam prius emortuus erat.

VIII. *Vomitus vehemens.* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

Die 21° Dec. 1848 horâ matutinâ 7ª vocabar ad Everhardum van der Weert, 34ᵘᵐ agentem annum aetatis, habitantem in platea *Zandstraat*, N°. 388 B. Duas praecedentes dies degerat apud sororem suam, quae Cholerâ aegrotabat, et vespere praecedente succubuerat.

Phlegmaticus erat, pro aetate nequaquam robustus. Diarrhoea laborabat. Per noctem scilicet ter alvum evacuaverat, quae erat pulti similis, graveolens et fusci coloris. Lingua erat humida, neque obducta; pressu ventris dolor non percipiebatur, pulsus satis frequens, 90 in minuta prima et exilis.

Excretio urinae horâ circiter ante obtinuerat copiâ vulgari. Querebatur de pulsatione stomachi. Ut lectum adiret et teneret, ut parum cibi sumeret, mandavi et

praescripsi sol. saleb cum 18 gutt. laud., ac insuper vesicatorium in epigastrio, quod ut alternis horis loco moverent, jubebam.

Post meridiem bis rursus alvus obtinuit, sequenti vespere semel, hujus autem vicis materia tenuior erat quam prior. Non erat nauseosus, erat calidus vero. et pulsu exili. Attamen querebatur de membrorum dolore, ventris pulsatio evanescerat. Secundum ea, quae dicebat, die etiam illo bis urinaverat. At vero hora sequentis diei matutina 6ª rursus ad eum arcessebar. Noctis initio somno usus erat dulci, at horâ 5ª ex inopinato vomere inceperat, qui vomitus hac una horâ, decies jam erat renovatus. Quater alvus obtinuerat, admodum sitiebat. Vox mutata, facies cholerica, lingua frigidior, cutis frigida, nulla cutis plica, pulsus exiguus et inaequabilis, spasmi surarum, brachiorum et ventris, acies oculorum, quando aeger jacebat immotus, sursum conversae, labium superius retractum observabantur. Urceos calidos ei apponendos mandavi et membra sub stragulis ut collinarentur, praescriptâ mixturâ demulc. 6 unc. cum unc. ß aq. chlorii $0\frac{1}{2}$ h. c. Per totum hunc diem in eâdem mansit conditione, continuo evomit, quae sumserat, eo die ter etiam alvus obtinuit: non urinavit; pulsus magis magisque decrescens, distincte tamen potuit sentiri, cutis frigidior, vox identidem magis rauca facta est. Iteratur mixtura. Die 22º Decembris omnia symptomata clarus observari potuerunt. Plica aderat, pulsus diutius sentiri non poterat; vomitus pergebat isque admodum frequens, sicuti die praegresso, et alvus liquida, materiae, Cholera laborantibus propriae, saponaceae. Facies

magis collapsa, anima et lingua frigida. Iteratur mixt., addita spir. vini camph. dr. 1 ß o. $\frac{1}{2}$ h. c.

Aeger, nullâ memorabili mutatione, per totum diem in eâdem manet conditione. Matutino tempore diei sequentis, 23[i] Decembris, pulsus denuo quodammodo sensibilis, cutis calidior erat, vomitus semel tantum obtinuerat, ter vero alvus. Iteratur mixt. o. h. c.

Per hunc diem aegrotans admodum erat inquietus, nec umquam recubuit placidus, nulla congestio ad caput memoratu digna observabatur, pulsus distinctius sentiri poterat, cutis continuo erat calidior. Excretio urinae postremis diebus non obtinuerat; subinde aegrotans delirabat. 4 hirud. temporibus imponebantur; iter. mixt., omisso spiritu vini camphorato.

Per noctem, secundum ea quae narrarunt adstantes, saepius alvus involuntaria et urina involuntaria obtinebat. Tempore matutino 24[i] Decembris, aegrotus erat pallidus, arteria carotis non admodum pulsabat, conjunctivae vasa nequaquam sanguine erant repleta; lingua erat arida, anima frigidior quam die praegresso, pulsus magis exilis ac valde frequens (110 in minuta prima), cutis frigidior. Ipse aeger admodum erat inquietus, subinde delirabat, et ad quaestiones respondere non posse videbatur. Carphologia aderat, pupilla dilatata, respiratio perdifficilis. Praescribitur infusio flor. arnicae et rad. senegae, at respiratio magis magisque fit difficilis, noctis horâ 5[a] stertor incipit, donec die 25[o] horâ meridiana mors sequatur.

IX. *Cholera. Alvus cruenta. Eventus lethalis.* (*Observatio* Cl. L. C. van Goudoever *et* Doct. M. Imans.)

Johannes de Graaf, 50 annos natus, operarius, spirituosorum abusui deditus, die 11° m. Julii a. 1849 hora pomeridiana 4ª, primis Cholerae Asiaticae symptomatibus, ad speciem mitioribus corripiebatur. Ipse aeger morbum suum parvi faciebat, ita ut, versus horam 6ᵃᵐ, se in nosocomium ferri vix sineret. Ibi adveniens sine aliorum auxilio gradus adscendebat. Ex symptomatibus tum praesentibus de morbi natura certo pronuntiari non poterat; cutis sc. non frigida erat, plicae in ipsa factae satis cito disparebant, lingua minus calida quam esse solet, pulsus non admodum parvus, nausea et vomitus vix ulla, alvus liquida quidem, nec tamen frequens et copiosa; vocis mutatio characteristica non aderat; ante paucas horas urinas ultimum misit. Praescribebatur mixt. de aqua chlorii cum spir. vini camph. et pulv. de ac. tann. alternatim assumenda. Horis sequentibus morbi facies minus dubia fit; urinae sc. non apparent; dolores et spasmi in suris exsurgunt, uti et in lumbis, cutis frigidior fit, pulsus tamen non evanescit. Die sequenti alvus prodit cruenta; nihilominus reactionis fere perfectae symptomata apparent; redeunt sc. tertio die urinae secretio, et appetitus, pulsus bonus fit; jam aeger per aliquot tempus lectum relinquere valet, suamque sanationem certam habet. Nocte tamen, inter 14ᵘᵐ et 15ᵘᵐ m. Julii diem, prima oriuntur symptomata instantis status typhoïdei metum injicientia; pulsus satis bonus. Praescribitur pulv. de subc. ferri et julapium. Versus vesperam respiratio quum difficilior esset, vesicatorium pectori im-

ponitur. Die 16° Julii respiratio brevis, rhonchus fortis, collapsus virium, pulsus minor. Sanationis spes aegrum tamen non relinquit. Praesc. inf. rad. senegae ex u. β — u. vj add. liq. ammon. anis. dr. ij., mur. amm. dr. j., syr. cort. aur. u. j. o. $\frac{1}{2}$ h. c., quae praescriptio vespere et mane sequenti iteratur, nullo cum effectu. Respiratione continuo difficiliori facta, bronchis et pulmonum parenchymate sero repletis; arteriarum pulsu semper decrescente, aeger versus vesperam diei 17^mi^ m. Julii mortuus est.

X. *Maculae in sclerotica sub finem Cholerae lethalis.* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

Diderica Spithorst, vidua Kampers, 62 annos nata, habitans in angiporto *Groenesteeg* N°. 423, die 18° Decembris, horâ matutina 5^a^, meum invocavit auxilium. Ter ea nocte apud eam alvus obtinuerat, nec tamen vomitus; cutis erat calida; ventris dolore non fuerat affecta; pulsus erat normalis. Praescripsi illi solutionem saleb cum laudani liquidi Sydenh. gutt. 18, omni semih. cochlear.

Attamen post horam unam et dimidiam pulsus rarus factus est, et valde parvus, vix sensibilis, vomitus admodum vehemens existit, ac semper iteratur post potum sumtum. Cutis glutinosa fit ac frigida, sitis vehemens. Praescripsi mixturam cum aquâ chlorii.

Hora 11^a^ cutis admodum erat frigida, pulsus non percipitur, spasmi, continuus vomitus, facies et vox cholerica observabantur. Potus iterabatur, addito spiritu

vini camphorato. Per totum diem in eâdem manet conditione; vespere iterabatur mixtura. Horâ matutinâ 6ª diei 19ⁱ vomitus paululum erat diminutus; bis per noctem obtinuerat alvus, cutis plica manebat, secretio urinae erat impedita, difficilis fit respiratio. Die 19° Dec. vomitus continuatur, sicuti et alvus liquida, pulsus nullus est, anima frigida, vox exquisite cholerica; mixtura iteratur; maculae nigrae observantur in sclerotica corneam inter et angulum oculi interiorem. Horâ quintâ pomeridiana obiit.

XI. *Haematuria in stadio Cholerae reactionis. Sanatio.* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

G.... H...., 39 annos natus, die 30° Dec. 1848 satis gravi Cholera corripiebatur, quae vespere diei 31ⁱ, in formam tertiam transitura videbatur. Post sumta 2 emetica ex rad. ipecac. vomitus desiit, et pulsus paullum denuo sensibilis fiebat, eo denique successu, ut vespere 1ⁱ Januarii 1850 in stadium reactionis transiret.

Initio haec reactio satis fore aequabilis videbatur, post horas vero 24 plane in conditionem catalepticam incidit, vehementi cum congestione cerebrali conjunctam.

Iterum iterumque hirudines adhibebantur, donec die 15° Jan. convalescens dici posset.

In hujus morbi descriptione brevitatem nobis affectandam esse rati eramus, ne saepius eadem diceremus, quam igitur ob caussam verbo tantum attigimus cursum atque symptomata ipsius Cholerae. Quum hic aegro-

tans in stadio reactionis, saepius haematurias laboraverit, quod *semel* tantum inter 440 correptos est observatum, omnino hujus rei nobis mentionem esse faciendam judicavimus. — Die 2° Januarii ejus uxor mihi narravit, eum valde queri de tenesmis ad urinam, atque singulis fere horae quadrantibus, stillatim exiguam copiam urinae mittere cruentae. In calice vitreo eam conserverat, tota quantitas erat uliginosa, et aequabiliter colore ferrüginis. Pressu neque in regione renali, neque in regione hypogastrica dolor suscitabatur, tantum modo pressio in perinaeo doloris sensum efficiebat. Aeger jam tunc in conditione versabatur semi-cataleptica; abrupta loquebatur et confusa, ita ut symptomata subjectiva (quae alioqui tanti sunt momenti in morbis cognoscendis) hic parum in nostrum usum convertere possemus.

6 hirudines in perinaeo poni curavimus, et pro julapio de aceto, quo illo die usus erat, praescripsimus emulsionem amygdalinam. Tenesmi hac medicatione decrevisse videntur, etenim correptus, vespere illius diei non prouti mane fecerat, brachia porrigebat ad matelliam in cubilis asserculo positam. Die 3° Januarii sopore plane erat oppressus, ad quaestiones responsum nullum, nulla doloris signa edebat, ubi premerem renum aut vesicae regiones. Inde ab horâ pomeridianâ quartâ diei praecedentis, nullam miserat urinam.

Denuo quatuor hirudines perinaeo, et Cataplasmata cum herbâ hyoscyami regioni hypogastricae imponenda curavi. Omnia vero irrita.

Hora matutina 6ª diei 4ⁱ Jan. excretio urinae nondum obtinuerat. Tum, quamvis invitus fere, consilium

cepi catheteris adhibendi. Prima conamina cathetere elastico crassitudinis vulgaris instituta irrita erant, quum certo quodam loco in urethra semper in impedimentum quoddam inciderem. Primum hujus impedimenti caussam in contractionibus spasticis urethrae positam esse opinabar; quum vero catheter ad eundem semper locum induci posset, suspicio mihi mota est, utrum fortasse strictura urethrae impedimento mihi esset. Interrogavi uxorem, utrum jam antea subinde conjugem audivisset querentem de urinae difficultate. Affirmavit, ac simul communicavit, se saepius vidisse eum admodum tenui emissario urinare ac saepius hoc emissarium interrumpi.

Tunc catheterem, quem mihi comparare possem, tenuissimum, adhibui. Post multa conamina tandem in vesicam induxi, quo facto magna copia urinae cruentae effluxit.

Quatuor diebus sese ex ordine excipientibus difficilem hunc catheterismum institui, et quotidie 2 hirudunes in perinaeo collocandas mandavi. Correptus sopore tenebatur assidue, urina identidem cruenta manebat.

Die 8° Jan. maximo cum gaudio meo audivi ischuriam cessavisse; stillatim urinam miserat cruentam, quae circiter dimidium poculum implebat. Ad diem usque 14um Januarii in eâdem fere permansit conditione. Attamen congestio cerebralis et sopor decreverant haud spernendum in modum. Jam ad quaestiones responsa dare poterat; itaque ex eo audivi, illi ex blennorrhoea urethrali, quâ antea laboraverat, stricturam urethrae remansisse.

Pressus nullum percipiebat dolorem in regione renali aut vesicali, attamen assidue haematuria observabatur.

Tunc haematuriam passivam esse habendam judicavi,

ac medicationem aliam, pro iis, quibus usus erat, esse adhibendam.

Caussa, cur non jam prius hoc fecerim, inprimis quaerenda est in dubio, quo versabar ob soporem laborantis, ac initium, uti videbatur, inflammatorium haematuriae.

Praescripsi tenue decoctum foliorum uvae ursi. Nihil quidquam molestiae id illi peperit, urina sensim purior, id est sanguine minus commixta, semper tamen stillatim emittebatur, sensim paulatimque efficacius decoctum praescribebam — et — felix ego, qui die 31° Jan. tamquam sanitati restitutum illum salutare potui. Postea quoque, subinde catheterem introduxi, ut et stricturam urethrae vincerem. Attamen citius meis curis sese subduxit. Itaque eum prorsus strictura esse liberatum confidere non audeo.

XII. *Parotitis in typho Cholerico.* (*Observatio* Cl. L. C. van Goudoever *et* Doct. M. Imans).

Mecca Emmelot, ancilla, 18 annos nata, bonae sanitatis speciem prae se ferens, mane diei 20ⁱ m. Julii a. 1849, primis Cholerae Asiaticae symptomatibus afflicta, post paucas horas in nosocomium dimittitur. Quum ibi excipiebatur, jam omnia stadii algidi vehementissimi symptomata aderant, cute et lingua inprimis frigidissimis, pulsu minimo, vomitu difficili, fere nullo, alvi fluxu frequenti quidem nec tamen admodum copioso, anuria perfecta. Mixt. de aq. chlor. et paulo post emeticum de subc. amm. gr. vj. cum. rad. ipec. dr. ß in 3 dos. div. Versus vesperam morbo continuo increscente, ita ut a statu paralytico vix distaret, omni

semihora gr. $\frac{1}{2}$ Moschi Opt. administratur. Versus mediam noctem hirudinum vj applicatio in regione epigastrica necessaria habebatur. Semper adhuc perstabat stadium algidum. Die sequenti hora matutina 8[a] reactionis symptomota adsunt, aliis instantis status typhoïdei metum injicientibus comitata, forti sc. arteriarum carotidum pulsu, oculorum conjunctivarum rubore, cerebri facultatum oppressione, linguae siccitate et sedimento fusco, tenaci, cet. Pulv. de subc. ferri gr. ij. sacch. alb. gr. x, obih. Iulapium de oxymelle cum aqua et epithemata frigida in capite. Post duas horas, adauctis continuo sanguinis ad cerebrum congestionis indiciis, hirud. vi ad tempora applicantur. Sequentibus diebus in usu eorundem medicaminum pergebat; applicatis insuper subinde clysmatibus, vesicatoriis ad latus dextrum, aliis pro symptomatum molestorum natura diversis. Semel (vespere 27[i] Julii.) venaesectio instituta est, qua tamen vix uncia sanguinis detrahi potuit. Perstabat status typhoîdes eadem fere gravitate; urinae quarto morbi die primum redibant; cibos etiam brevi assumere incepit aegra, quorum appetitui ad ultimos usque morbi dies satisfaciebat.

Die 28° m. Julii, mane, vidimus, per noctem parotitidem esse obortam, ad utrumque latus, cum dolore et tumore imprimis insigni. Applicantur octo hirudines, quibus, licet die 30° Julii repetitis, impositisque frigidis epithematibus, suppuratio tamen praecaveri non potuit; quare sexto post ortam parotitidem die, perstantibus dolore et tumore, pus licet jam per duos dies e meatu auditorio externo effluxerit, scalpelli ope abscessus ad utrumque latus aperti sunt; cataplasmata appli-

cantur. Die 2o m. Aug. Exanthema apparuit maculosum, cholericum dictum, in manibus praesertim et facie. Die quinto m. Augusti, quamvis suppuratio non copiosa esset, cibosque assumere pergeret aegra, viribus continuo labentibus, pulsu debiliori et frequentissimo, cerebro magis magisque oppresso, lingua sicca, sedimento fusco tenaci tecta, dentibus etiam et gingivis adhaerente, decoctum c. peruv. f. ex u. i-viij, cui brevi addebatur ac. sulph. dil. dr. i β, praescripsimus, simul cum dec. alb. Syd. et vino Rhenano, larga copia administratis, sine ullo tamen effectu. Die enim Aug. 9°, mane aegra mortua est.

In cadavere, non multum emaciato, nihil insoliti invenimus.

XIII. *Cholera. Typhus Cholericus. Exanthema Cholericum. Pleuro-peripneumonia. Restitutio.* (*Observatio* Doct. E. Oudenhoff).

Die 21° Julii 1849 arcessebar horâ matutinâ 5ª ad Didericum Korbeek, habitantem in plateâ *nieuwe Zandstraat*, in domo N°. 330F insignitâ. Erat lymphaticus, 25 annos natus, et corpore parum firmo. Mercenarius victum quaerebat. Jam inde a die 18° Julii diarrhoea laboraverat. Proxima nocte vice plus simplici vomitus apud eum obtinuerat, unde magna consanguineis sollicitudo exoriebatur; ideoque meum invocaverant auxilium. Omnia symptomata Cholerae manifesta aderant. Vomitus et diarrhoea liquoris saponacei, Cholerâ laborantibus proprii, facies et vox cholerica, lingua frigida non obducta, cutis frigida, pulsus admodum exilis,

vix sensibilis, spasmi, anuria, cutis plica, reliqua omnia indicia observabantur.

In hac conditione permansit ad vesperam usque diei 21[i] Julii; assidue vomuerat, pulsus semper manserat sensibilis. Itaque nec emetica nec excitantia illi praescribere debui, at tantummodo aquam chlorii commendavi. Post meridiem 21[i] Julii pulsus paululum confirmabatur, vomitus et diarrhoea decrescebant, cutis calidior fiebat, nihilominus anuria perpetuo obtinebat. Vespere querebatur aeger de gravi capitis dolore, carotides vehementer pulsabant, conjunctiva admodum erat injecta, facies erat praerubra, nulla deliria obtinebant, at sopor altus, lingua erat rubra et arida, pulsus neque admodum magnus neque adeo exilis, paullo frequentior quam esse solet in conditione normali (96 in minuta prima). Quatuor hirudines in temporibus, vesicans in cervice, sinapismi ad suras, et epithemata frigida in capite, collocabantur, dum, pro usu interno, Julapium ex aceto acciperet.

Die 22 Julii horâ matutina 6[a] aegrum visitans audivi, eum per noctem admodum delirasse: semper congestio ad caput; pulsus major nec tamen frequentior quam praegresso vespere, observabatur; neque urinam miserat. Iterum quatuor hirudines ad caput collocandas curavi, dum assidue Julap. adhiberetur. Per totum hunc diem in conditione soporosa permansit. Vespere ad vesicam attendens, percussione observavi, eam valde esse extensam. Per duas horas continuas cataplasmata calida regioni hypogastricae imponebantur, at frustra. Hora 12[a], quia per 24 horarum spatium alvus non obtinuerat, clysma et simul catheterem applicandum curavi.

Quo facto magna copia urinae fusci coloris exprome-batur. Die 23° Julii in eadem fere versabatur conditione, ischuria tamen decesserat. — Diebus, 24°, 25° et 26° Julii semper sopore mansit oppressus, lingua semper erat arida et contremula, pulsus circiter 80 aut 90 ictus erant in minuta prima. Per dies hos bis etiam hirudines temporibus imponendas mandavi, unde tamen conditio non multo melior evasit. Alvus semper clysmatibus movebatur, dum continuabatur usus Julap. ex aceto et dec. alb. Sydenhami.

Adiens aegrotantem vespere d. 26ⁱ in conditione eum inveni paullo meliori, minus sopore tenebatur, et, quamquam difficulter, responsa dabat ad quaestiones.

In collo et brachiis initia Cholerae exanthematis observare mihi videbar in punctis, praerubris illis, quibus haec prorsus erant obducta. Pressione evanescebant et parum erant superiora cute, quae nunc erat calidior quam diebus antecedentibus. In pectore, ventre et extremitatibus inferioribus haec puncta non observabantur.

Die 27° Julii Exanthema multo erat clarius et per totam corporis cutem dispersum, nunc erant maculae majores, rubrae, plerumque discretae, quae ex mea opinione maxime conveniunt cum morbillis, attamen universe sunt majores.

Conditio multo erat melior, sopor prorsus fere evanuerat, congestio ad caput minor, attamen pulsus denuo paullo frequentior (90 in minuta prima), lingua semper arida et fusca, sitis vehemens, pressione nullus dolor hypogastricae regionis, alvus semper clausa erat. Semper tussi vexabatur aeger breviori et arida, attamen utrique poterat incumbere lateri, et loqui sine magna difficultate.

Ob floridum exanthema nec percutere neque auscultare aegrum ausus sum. Loco dec. alb. Sydenhami, nunc illi decoctum Bardanae praescripsi ; vespere in eâdem fere erat conditione, exanthema insignem in modum evolutum erat, tussis erat diminuta.

Mane, 28° Julii, in multo infaustiori aegrum inveni conditione. Exanthema plane evanuerat, de dolore in latere dextro querebatur, qui respiratione augebatur. Anhelitus erat frequens (36), dyspnoea, sermo difficilis et interruptus, tussis brevior frequens, quâ, maxima cum difficultate, sputa efferebat exigua et glutinosa, striis sanguineis tincta. Lateri dextro incumbebat, subinde etiam dorso; percussio vix memorabile quid exhibebat.

Respirationem quoque ad dextrum latus ubique me audire opinabar, attamen infra minus distincte quam supra, quod igitur nihil indicabat morbosi, quum idem hoc apud valentes etiam obtineat. Lingua semper erat arida et fusci coloris, sitis aderat vehemens, alvus interclusa, pulsus magis exilis et durior quam die praecedente (110 in minuta prima). Venaesectionem instituì 6 circiter unciarum.

Sex hirudines lateri dextro dolore affecto collocandas curavi; praescripsi decoctum carrhagenicum cum aqua lauro-cerasi, et clysma, ac fricationes pannis laneis adhibendas mandavi, stragulis tamen non sublatis.

Pulsus venaesectione parum erat mutatus, neque adeo dyspnoea. Vespere in eâdem erat conditione; iteratur venaesectio.

Maxime memoratu digna mihi videbatur conditio sanguinis venaesectione, quam mane instituendam mandaveram, detracti, quamquam jam nunc nono aegrota-

bat die, sanguis tamen colorem et proprietates referebat sanguinis Cholerici. Admodum fusci erat coloris, glutinosus, dum disjunctio seri et cruoris vix poterat observari, et nihilominus pulsus (imprimis per stadium typhoideum) satis fuerat magnus, quae ex meo (salvo tamen meliori) judicio, parum inter se convenire videntur.

Sequenti die (29 Julii) in eadem versabatur conditione, pulsus magis erat parvus.

Auscultavi et percussi eum, auxilio gaudens viri Doct. de Ridder, cui quoque sanguinem monstravi, venaesectione vesperis praecedentis detractum. — Comparatio sanguinis, qui utraque venaesectione eductus erat, nihil discriminis exhibet. Respirationem ad dextrum latus non audiri putabamus, et percussionem ibi esse magis obtusam quam ad latus sinistrum. Dolorem identidem respirans persentiebat aeger. Excretio sputorum copiosior et striis sanguineis distincta erat. Respiratio erat 34, pulsus satis exilis (105 in minuta prima). Applicabantur hirudines 6, applic. clysma. Iterab. decoct carrhagen.

Per reliquam illius diei partem parum mutationis obtinuit.

Die 31° Julii dolor, qui antea respiratione excitabatur, evanuerat, attamen dyspnoea gravior, respiratio et pulsus frequentiores exstiterant. Dorso incumbebat, sermo erat interruptus et difficilis; sputa sanguinolenta, facies rubro colore et anxietatis indicia exhibens, sitis vehemens, lingua arida et flava, et alvus interclusa observabantur.

Percussisonis sonus in parte inferiori pectoris dextri,

circiter usque ad papillam multo erat obtusior quam praegresso die. Murmur respirationis audiri non poterat.

Praescripsi tunc venaesectionem 12 unciarum, clysma et decoct. carrhagen. Sub vesperam et respiratio et pulsus minus erant frequentes.

Die 1° Augusti cuncta symptomata in melius erant mutata, pulsus 90 erant in minuta prima, in urina sedimenti multum observabatur, percussio erat subsurda, respiratio audiri non poterat.

Adhibui tunc clysma et decoctum carrhagen.

Die 2° Aug. aeger sensim paulatimque vires recuperat, pulsus 80 in minuta prima, lingua humidior, at praerubra, percussio perpetuo subsurda observantur.

Applicui vesicatorium in pectore dextro et decoctum carrhagen.

Die 3° Aug. conditio melior etiam evaserat.

Pulsus parvus (80 in minuta prima), lingua minus rubet. Alvus obtinuerat clysmate non adhibito, in urina semper sedimentum adest.

Administravi decoctum album Sydenh.

Exinde aeger in dies valetudinem recuperavit, nec tamen prius quam ineunte mense Septembri labori manus admovere valuit. — Exeunte mense Augusto eum percutiens clarum rursus sonum ex pectore dextro excitare potui, dum et murmur respirationis clare audiebatur.

CAPUT SEXTUM.

CURATIO.

Quotidie diarrhoeae nobis curandae fuerunt, quae cum carerent Cholerae proprietatibus, e simplici pendere videbantur intestinorum irritatione. Atque hae quidem laudano liquido Sydenhami, in vehiculo mucilaginoso administrato, facile cedebant. Simulac vero materies excreta speciem decocti oryzae prodiret, ejusmodi diarrhoeis laborantes tractabamus tamquam Cholerâ ipsa correptos, idque recte fieri probabatur ceteris characteristicis morbi symptomatibus, vel jam praesentibus vel mox prodeuntibus. Lectum ut tenerent mandare, atque exstrinsecus calorem admovendum curare solebamus urceis calidis, saccis arena repletis calida et cutis frictionibus ope pannorum de lana calefactorum. Potus excitantes eo severius interdicebamus, quo magis ad eorum usum populus ipse inclinabat, commendatum ab iis, qui prophylacticum, ut dicebatur, venditabant, quod herbis nonnullis amaris et aromaticis constabat, ex spiritu vini potissimum in-

fundendis. Pro usu interno praescribebamus aquam chlorii, pro potu vel demulcentia, vel si aeger id praeferret, aquam frigidam. Egregiis, qui mihi communicati erant, effectibus venaesectionis incitatus, initio epidemiae in primo morbi stadio nonnumquam venam secandam curavi, quo quidem in uno casu morbum manifeste veluti jugulavimus. Erat viri, cujus et uxor et liberi omnes, quatuor numero, Cholerâ succubuerant.

Hic scilicet, postquam e domo suâ in aliam migrasset, ubi Cholera nondum prodierat, morbo manifesto corripiebatur. Vena secabatur, qua sanguis effluebat, nihil aut certe parum seri continens, cujus superficies nigras veluti maculas continebat. Mox sudor exstitit uberrimus; diarrhoea et vomitus brevi admodum diminuebantur et intra biduum revaluit aeger. Apud reliquos tamen, quibus venaesectio instituta fuit, minus felix erat eventus. In alia urbis parte factum est, ut Cholera post venaesectionem majori quoque vi saevire inciperet, quo quidem audito, prorsus eam praetermisimus, etiam quoniam nihil minus quam inepta nobis videbatur opinio eorum, qui contendant, sanguinis diminutionem in hoc stadio, nisi ad morbum subigendum valeat, malas sequelas secum trahere posse in posterum.

Atque haec quidem de cura a nobis adhibita in primo morbi stadio vel in prima, si mavelis, ipsius specie. Vulgo tamen nostrum tum demum invocabatur auxilium quum aeger jam in secundo stadio versaretur. Utinam balnea frigida, unde aliquid boni redundare posse nobis videbatur, adhibere potuissemus! At unusquisque, qui homines inferioris ordinis suis curis habuit manda-

tos, facile intellexerit, quam multa apud ejusmodi homines obstent talium remediorum administrationi. Accedit, quod tantopere vulgus ea adversabatur, ut per aliquod tempus impedimento fuerit, quominus Cholera correpti eo possent adduci, ut in nosocomium ipsis destinatum se transferri sinerent 1).

Prouti in stadio primo, sic etiam in secundo decubitum in lecto, frictiones ac calorem externum commendabamus, quamquam e calore hac ratione allato fructus magni momenti prodiisse, affirmare nequaquam possimus.

In hoc stadio spasmi minime erant insoliti, atque eorum depugnatio symptomatica pulcherrimum sibi vindicat in therapia Cholera laborantium locum. In spasmis levioribus, quae fere non nisi in suris prodibant, levis frictio volâ manus instituta sufficiebat; spasmi graviores, qui etiam in extremitatibus superioribus, et in musculis trunci observabantur, brevi poterant sedari frictionibus de spiritu vini camphorato et facilius etiam de infuso herbae nicotianae tabaci. Mirum videtur id, quod haec remedia tam celeri gaudebant effectu in cutim adeo inertem. Vesicatoria aut infrictiones ad columnam vertebrarum subinde adhibita nullum habuerunt effectum neque in nervos spinales, neque in nervum sympathicum. Initio epidemiae vesicatoria ambulantia regioni epigastricae et ventri imponere solebamus, postea vero ab iis abstinendum esse putavimus, quia graviter correptorum cutis iis nequaquam afficiebatur, dum metus nobis erat, ne apud levius affectos vomitus et alvus nimis cito

1) Conf Nederlandsch Lancet, 2e Series, 4e Jaargang, No. 11, pag. 23 seq.

iis sisterentur, quod experientia nos docuerat, non optabile esse.

Quemadmodum in priori, ita in altera quoque morbi specie, optimo cum fructu, chlorio usi sumus, et quidem fere unico, quod saepius, eo adhibito, diarrhoeas cholericas cessavisse, vomitum autem in altero stadio promotum esse animadvertimus 1), quodque etiam in typho Cholerico maximae fuisse utilitatis visum est, dum cetera medicamenta non satis valerent ad saevum huncce morbum opprimendum.

Desiderio insuperabili omnium propemodum Cholerâ correptorum, quo aquam frigidam petebant cedendum esse judicavimus, cum quandoquidem erant, qui aquam eamque copiosam princeps haberent in hoc morbo remedium, tum quia inhumanum foret abnegare morienti quod recreat sine noxa. Paucis quibusdam pro aquâ cerevisiam petentibus item concessimus. Si vomitus diminueretur, neque tamen cetera symptomata felicem morbi mutationem indicarent, vomitum denuo excitare conati sumus magna dosi pulveris rad. ipecac., addito moscho, qui ut adderetur, nobis semper necesse visum est. Quin et in pueros incidimus, quibus solus moschus vomitum movebat. Quo citius autem post vomitum postremum emeticum adhiberetur, eo plus fructûs inde exspectare licebat, atque si duarum horarum spatium praeteriisset, in genere effectus dubius erat.

---

1) Vomitum vehementissimum, exitum infaustum non praenunciare, multis probari posset exemplis, quorum unum tantum afferimus, puellulae scilicet, 6 circiter annos natae, quam uno eodemque die, tres situlas et quod excedit vomitu replentem, brevi autem revalescentem vidimus.

Saepe nimirum emeticum nec vomitum ciebat neque vires excitabat, atque morbus in tertium stadium transibat, vel tertiam speciem prae se ferebat, in qua camphoram, arnicam, carbonas ammoniae, pueris moschum praescribere solebamus, vulgo vero frustra. Irrita prorsus erant conatus nostri, si et insuper alvus cruenta accederet. Iis, qui in hac conditione desperata versabantur, administravimus dec. rad. columb., dec. corticis per., similia, subinde etiam clysmata ex amylo, at vero semper exitus infaustus erat.

Quodsi aeger eam sortem nancisceretur, ut secundam, aut tertiam, quod paucissimis accidit, Cholerae speciem superaret, tum reactio sequebatur, quae plerumque, nec tamen semper, insultus cholerici vehementiae respondebat. Gravissimum tunc cerebro imminebat periculum, inprimis apud pueros, quam ob caussam quam primum derivare illud conabamur, vesicatoriis in nucha, sinapismis ad suras apponendis, ac, si congestio ad cerebrum incresceret, frigidis epithematibus.

Epidemiae initio, cum exitu satis felici, jam inchoante reactione, imprimis apud pueros sanguinis missionem localem e capite instituimus; sub finem vero epidemiae minus erant accommodatae, et nonnumquam vidimus, aegrum post depletionem etiam exiguam relapsum esse in stadium algidum et vero succubuisse, qua de caussâ deinceps non adeo facile sanguinem detraximus. Subtilitas quaedam judicii requirebatur ad momentum huic missioni aptum, arripiendum.

Pro usu interno porro hic etiam adhibuimus chlorium vel julapium acidulum, addito subinde dec. alb. Syd.

Nonnulla symptomata, in hoc stadio interdum obvia, peculiarem postulabant medicationem.

Singultus, qui subinde praeter modum perseverabat, apud levius correptos, incredibile dictu, quam facile mag. bismuthi cederet; si magis refractarius erat, cucurbitas cruentas aut hirudines regioni epigastricae applicandas curavimus, quibus cessit in omnibus aegris, uno excepto, apud quem solum extractum belladonnae (gr. β in iv pulv.) magisterio bismuthi additum hoc symptoma adeo molestum tollere valuit.

Alvum interclusam, quae saepius obtinebat ducere conabamur clysmatibus, subinde rheo; emesin superstitem, quae rara, ope bismuthi sustulimus.

A priori facile quis opinari posset, morbum tam atrocem tanto cum impetu irruentem, quo vita vegetativa adeo corripiatur, effectus tantum non insuperabiles et valde diuturnos in correptis esse relicturum. Id vero non ita sese habet. Longum revalescendi spatium inter exceptiones est referendum. Vulgo nihil nobis remanebat quam ut alimentis ac remediis subinde vires restauraremus.

Morbi secundarii, qui rarissimi erant, secundum therapiae generalis praecepta curabantur. Inter hos pauci tantum diarrhoea laborantes nobis curandi fuerunt, quae diarrhoea mox depellebatur decocto rad. columbo cum laudano, dum mox aegrotanti, decoctum album Syd. et decoctum corticis Peruv. administrabantur cum jusculis et vino conjuncta. Quibus assumtis post spatium, morbi ratione habita, breve dicendum, ad labores redire solebant.

En, lector benevole, simplex narratio facti. Si autem

quaeras, quibus tandem principiis in Cholera curanda ductus fuerim, quid mihi proposuerim, respondeo: juvare, non nocere. Secundum regulas therapeutices universalis et secundum ea, quae ab aliis medicis fide dignis circa Choleram Asiaticam didiceram, dedi et commendavi ea quidem artis praesidia, quae aegris prodesse posse mihi visa sunt; abstinui a cunctis, quorum usum periculosum esse mihi persuasum erat.

Quod de pluribus affirmare licet morbis, scil. subinde facilius esse morbum praevertere quam depellere, summo jure de Cholera perhiberi potest. Atque haec etiam est caussa, cur ubivis medici civitatum rectoribus auctores fuerint, ut ea instituerentur, quae utilia esse, epidemia quadam regnante, experientia vel ipsos vel alios docuisset.

Quantum fieri potuit, in hac quoque urbe, intenti fuere in id, ut caussae noxiae dimoverentur. Qualis hi conatus fuerint, utilitate, arduum est dictu. Ipsius rei indoles flagitabat, ut epidemia hyemali ad alia magis, eâ, quae aestate saeviit, magis ad alia attenderetur. Itaque cloacarum et latrinarum purgatio melior obtinuit quam aliis annis; sic quoque plateae aquâ fuerunt conspersae diebus calidis.

In prima et altera Cholerae epidemiâ, annis 1832 et 1833, in angiportis maxime correptis, et valde angustis, ubi aëri puro aditus vix patet, atque solis radii numquam penetrant, cujus rei et vicus C tristia potest exhibere exempla, suffitus Guytonianos saepius instituerunt copiosos. Etiam nunc saepius eosdem fieri curavimus, non adeo quandoquidem eorum utilitas in delenda causa morbi primaria nobis omni dubio major

visa est, at inprimis, quia vulgus eos desiderabat, itaque psychice vim suam poterant exercere in animos anxios. In domis, quae adhuc habitabantur, ubi vel aegrorum vel cadaverum vel aliarum rerum exhalationes putridae animadvertebantur, ob vim irritantem suffitus Guytoniani, organis respirationis inimicam, praetulimus leniorem chlorii evolutionem, ope chlorureti calcis aceto adspersi.

Perpetuo quoque ventilationes commendavimus eoque vehementius, quo magis pauperes iis adversantur. Porro cadavera, quamprimum illud, salva prudentia, fieri liceret, sepeliebantur, ac publica commonitione quantumpote curatum est, ut comissationes, quae apud homines inferioris ordinis funebria haud raro excipiunt, prohiberentur.

Ubi fieri posset, domus, in quibus Cholera saevierat, deserendas, perpurgandas ac suffumigandas curavimus, utque stragula et ceterae cubilium partes, curâ haud vulgari, lavarentur, etiam atque etiam monuimus.

Ingrati foret, nullam si hic injiceremus mentionem summae munificentiae ac liberalitatis, qua, dum epidemia aestiva saeviebat, cives copiam nobis fecerunt, pauperibus, etiam pecunia data, succurrendi; si silentio opprimere vellemus, quâ numquam pro meritis laudata ratione, honoratiores illi, qui sese conjunxerant, eo proposito, ut, cibis et lectis exhibendis, medicorum conatibus prodessent, pensum, quod sibimet ipsi imposuerant, faventibus ceteris civibus, accuraverint, ac nobis statim omnia suppeditarint, quae vel ad alendos vel ad reficiendos aegros eorumve cognatos vel ad leniendas quascumque paupertatis miserias peteremus.

TANTUM.

THESES.

I.

Fluxus menstruus potius repetendus est a secretione vasorum uteri, quam ab eorum ruptura.

II.

Ad sanguinis circulationem multum contractilitate sua conferunt arteriae.

III.

Impedimenta sanguinis cursus in arteriis eo citius et certius hypertrophiam cordis afferunt, quo propinquiora cordi sita sunt.

IV.

Recte Zehetmayer: Es gibt kein Symptom, aus dessen

Anwesenheit man mit Gewissheit auf eine Verwachsung des Pericardium mit dem Herzen schliessen könnte.

V.

Tubercula pulmonum discreta in primo evolutionis stadio suspicari licet, non semper vero certo dignoscere.

VI.

Insufficientia, quam vocant, valvulae tricuspidalis facile dignoscitur; eam vero non nisi relativam esse propter dilatationem ventriculi cordis dextri, saepius quidem suspicari possumus, certo vero affirmare non possumus.

VII.

Ascites, si non praecesserit artuum inferiorum oedema, certo fere dici potest non pendere a vitio cordis.

VIII.

Minus recte signum certum mortis habetur, quando ictus cordis non amplius auditur.

IX.

Pleuritis sic dicta biliosa non excitatur bilis stimulo in sanguinem resorptae, sed colluvie bilis in ventriculo contenta.

X.

Distinctio inter Choleram paralyticam et erethicam, quam vocant, inepta est.

XI

E pathognomonicis, quae vulgo habentur Cholerae Asiaticae symptomatibus, nullum est constans.

XII.

Experimenta Dieffenbachiana, quibus catheter elasticus per arteriam axillarem in locum cordi proximum perducatur Cholera laborantium, reprobanda sunt.

XIII.

Cholera regnante, domos ipsasque plateas et angiportus chlorio suffumigare, utile est.

XIV.

Usus laudani liquidi Sydenhami in Cholera Asiatica, nostris in regionibus, est reprobandus.

XV.

Tempestiva sanguinis detractione chlorosis interdum praeverti potest.

XVI.

Albuminuria diureticorum administrationem non vetat.

XVII.

Inflammatio pleurae non semper vetat paracentesin thoracis.

XVIII.

Siquidem in ascite paracentesis instituenda sit, linea alba universe praeferenda est abdominis lateri.

XIX.

Docimasia pulmonum sola medico forensi indicare nequit, num infans vivus natus sit an mortuus.

XX.

Es ist der Umstand, ob eine Verletzung durch zweckmässige Behandlung hat zur Heilung geführt werden können oder nicht, bei der Schätzung des Grades der Tödtlichkeit einer Verletzung wichtig und mit in Anschlag zu bringen, es ist ein wichtiges Kriterium zur Beurtheilung mit.

Nicolai.

XXI.

Nur der im Fühlen Geübte verschafft sich Aufklärung über die dem Geburtshelfer wichtigsten Umstände; nur der im Hören Geübte kann sich Schlüsse erlauben, die ihm oft als Leitstern für sein Verfahren zu dienen im Stande sind.

Naegele.

XXII.

Partus praematurus artificialis sectioni caesareae et perforationi foetus est praeferendus.

XXIII.

Dantur omnino signa, quibus graviditatem adesse affirmare, nulla vero, nisi certe manifesta adsint conceptionis impedimenta, quibus illud negare possumus.

TABULA VICI ULTRAJECTI LITTERA C INSIGNITI.



A Poortje van Lancée. B Poortje Nooit Gedacht. C Poortje v. v. Stockum. D Jacobspoort. E Gruttersspoort. F Schoolpoort. G Wijnpoort. H v. Ekerenspoort. I Eikerspoort. K Spiegelpoort. L Vogelpoort. M Waterpoort. N Het Hofje van Zessen. O Arkenspoort.

